PROLVSIONES Academicæ,

in duas partes distributæ,

Quarum

Prior continet RECITATIONES SOLENNES in Tit. *De Judiciis*, ubi de Personâ & Officio Judicis apud Ebræos, Græcos, & Romanos latè disputatur.

Posterior THESES aliquot de ORIGINE DOMINII & SERVITVTIS complectitur.

Hisce præmittitur

ORATIO INAUGURALIS.

A *THOMA JONES*, LL. Dre. & Soc. Coll. Mert.

—Habent sua fata libelli.

OXONIÆ,

Typis H. HALL Academiæ Typographi, impensis RICH. DAVIS. Ann. ÆRÆ *Christianæ* CIↃIↃCLX.

BIBLIOTHECA·BODLEIANA

AMPLISSIMO PRÆSVLI BRIANO DVPPÆ

ECCLESIÆ SARISBURIENSIS quondam EPISCOPO (nuperrimè verò ad SEDEM WINTONIENSEM translato, nec non REGIÆ MAJESTATIS ELEEMOSYNARIO PRIMARIO

Εὐνοίας.

Summe Literarum Antistes,

LIceat Tibi & Ecclesiæ è Postliminio reduci Votivam hanc Tabulam suspendere; qui per octodecim annos variis cum tempestatibus luctatus, ad littus tandem (ut Paulus olim) super *fractis Ecclesiæ Tabulis* appulsus es, & cum paucis, Noachi

instar, ex Arcâ egressus terræ pedem intulisti. Tota Britannia gratulatur, quòd inter tot Antistitum lanienas, inter sacrarum ædium ruinas tantus gubernator supereresses, qui Ecclesiam Sarisburiensem per tot rerum discrimina, tot insanientis seculi tenebras sine pixide ad optatum portum deduxisti. Jure optimo te Deus *majori Talento* i. e. Cathedrâ Wintonienſi donavit, qui tanto fœnori minus Talentum posuisti. Speramus, ex *Veteris* templi ruderibus (in quæ, ut Marius in Carthaginis ruinas, invicto animo huc usque resedisti) *Novum* à te, zelo Zorobabelis ardenti, excitatum iri. Præsertim cum tantùm *Paternitatis vestræ* autoritas apud Regiâ Majestatem valeat, ut soli tibi, tanquam Pontifici Max. sacros adytus & Regii pectoris *Sanctum Sanctorum* ingredi concedatur; ubi Vestalem ignem, Deo & Ecclesiæ consecratum, tuo erga religionem ardore olim accensum, refocillare & perennare potes. Uti per hujus flammam *Altaria nostra* fumare

re incipiunt; ita *Deorum tecta* in nos corruentia, Regiis humeris, tanquam Atlante, niti videntur. Teſtor *Paulinas* ædes crebris injuriâ temporum rimis fatiſcentes, & quaſi titubantes; quas ſartas tectas conſervare Rex ipſe aggreditur. Quare tibi debet Eccleſia hunc *Tutelarem Angelum*, qui non ſolùm *Fidei*, ſed *bonorum operum Defenſor* habetur: Tibi Reſpublica libertatem, avitos mores, legéſque in uno Carolo acceptas tulit, quem in Religione paternâ & virtutum Panopliâ à te ab unguiculis initiatum *Magno Majorem* reddidiſti. Nec reſpublica tantùm ſed magna mater Oxonienſis triumphat, quòd te inter ſacros Eccleſiæ Antiſtites nacta eſt patronum, cujus olim fuiſti ornamentum & *grande decus*. Quoties te novimus in ſacro Muſarum nemore, tanquam *Fatidicam Quercum* literarum ſpoliis & triumphis onuſtam, tenuioribus Muſis reſponſa dare; ſub cujus umbrâ

docti molliter recubantes scientiarum sitim ex ipsis Parnassi fontibus restinxerunt. At proh dolor! quantũ Academia mutatur ab illâ? Jam *nemora* ista Musis dicata unà cum *Regiis* bipenni cæsa sunt, veteréque coloni ferro & flammis solum vertere coacti, adeò ut Academiæ uterus ad partus festinans vel cæcos parturiret vel abortivos fœtus, qui Caniculari Zelotarum æstu aut Belli Civilis tempestatibus penitus emarcuerunt; magna enim ingenia non aliter quàm *Heliotropia*, nisi coru. scante Sole, se explicare non audent. Quare *Nos – Relliquiæ Danaûm atq; immitis Achillis*, spelunCas in *sacro monte* (uti Ephesini olim pueri ad Decii sævitiam evitandam) subintravimus. Neque diu illic delitescere hujus seculi Terræ filii patiuntur, qui per Cuniculos subeuntes *nos* ex insidiis captant & eliminandos volunt, nisi ex Canaanitis in novos Gibeonitas

fuerimus

fuerimus transformati. Nam hæc nova progenies (quæ Æquivoco quodam partu ex corruptis moribus, uti Scarabæi ex fimo, ſubnaſcitur) ad vitia hominum colligenda eâdem aviditate accurrit, quâ veſpæ ad ulcera convolant, quâ hirudines ſanguinem appetunt. Hujus farinæ noxia animalia ex ipſis Parnaſſi fontibus propinare eóſq; veneno ſuo inficere non erubeſcunt, unde tenuiores Muſæ peſtiferos hauſtus captantes Hydropicâ quâdam convitiandi lue turgeſcunt. Uti Virgilius animas (epoto Lethæo flumine) dementat, priuſquam ex Orco revocat, ita *Calumniandi Profeſſores* tyrones ſuos ad Oenopolium transferunt, ubi vino benè madidi mentis Cardine emoti videntur. Hinc per Popinas Tabernáſque Lupercali quodam furore acti diſcurrunt, & obvios quóſque dictertis proſcindunt. Hi Lymphatici doctis omnibus cordatíſque malæ linguæ verbera ſine

discrimine impingunt, & veteres Academiæ incolas calumniis onerant. Non facile est enumerare quot spicula veneno illita, quot serpentinos Nebulonum morsus per decennium & ultrà passi sumus. Nam dum inconcussè stare nitimur in hoc fluctuante seculo, à littore ad littus contrariis ventis impellimur, &, ut fit in magno hominum tumultu, modò huc modò illuc (exundante turbâ) rapimur, quandoq; etiam in *partes* divulsi cadimus. Hisce Musarum equûleis per tot annos attritus ad te tandem (Præsul Amplissime) tanquam ad Asylum confugio, humiliter orans, ut me, tam crassis invidiæ nebulis undiq; circumseptum, favoris tui radiis illustrare & in apricum educere digneris. Insuper pro tanto beneficio grates, quas tenuitas nostra tibi jam reponit, in bonam partem accipias, rogo. Ad Aram itaque benignitatis vestræ gratus accedens Manipulum hunc Juris, eâdem religione

gione quâ Ebræi ſuum *Homar* tanquam uberioris meſſis primitias libenter offero, méque ipſum devoveo

Dabam ex Coll. Merton. 4to Kalend. Septemb. 1660.

Amplitudini veſtræ Devotiſſimum

T. JONES.

Oratio habita in Auditorio Juridico, cùm Recitationes ſolennes in Titulum de Judiciis auſpicatus eſt Author.

NON *Ambitionis æſtro percitus, non lucri ſpe occæcatus* Imperialem ſtolam *ambire geſtio; ſed ut Matris Academiæ votis facerem ſatis: quam nec minus pudet tot in aliis artibus abortivos & ſuppoſititios fœtus* Soli *expoſuiſſe, quàm Juriſconſulto per ſeptennium gravidam adhuc laborâſſe. Utriuſq; infelicitatis veniam meretur, cùm inter ludibria ſeculi & vertiginoſas* Novarum rerum *viciſſitudines huc & illuc diſtrahatur, & tanquam navis inter* Brevia & Syrtes *vi tempeſtatum abrepta, abſorberi jam jam pertimeſcat. Hinc frigidus ſudor per*

Aca-

Academiæ viscera *modò permeat; modo uterus intemperanti* Zelotarum æstu *agitatus* cœlestia animalia *concipit, quæ simul ac lucem vident, ex suggestu, tanquam ex Tripode, divino quodam halitu temulenta in Auditores debacchantur; imò in invicem obversis cornibus arietant, donec mutuis cladibus (tanquam Cadmeia proles) corruant. Neque animalia ex civilis belli ignieulis alia exoritura expectemus praeter religiosos Salamandros, qui iisdem flammis devorari cupiunt, ex quibus nascuntur.*

Hujusmodi Musarum superfœtatio, bello civili adhuc glisente, omnes Justiniani labores irritos fecit: nam magnæ molis est, & pacati orbis opus Jurisconsultum in lucem edere. Nemo nescit quot annorum sit labor regnorum, gentium, urbium, leges, plebiscita, consuetudines *investigare, perlustrare, & in integrum corpus redigere. Aspicite quousq; patet Oceanus, quot* insulas adhuc incognitas,

cognitas, -altâque caligine mersas *in suo sinu complectatur; eousq. Furiis prudentia fines suos extendit; tot etiam loca tenebris obsessa passim ostentat, quas* Cujacius ipse, *impervia &* opaca locorum *penetrare solitus, discutere nunquam ausus est.*

Licet Romanum Jus intra Imperii claustra coerceatur, corpus *tamen* Juris Civilis *universam Scythiam & inhospitalem Caucasum perambulat. Nulla enim gens tam barbara, quæ* Elementa Juris *unà cum* materno lacte *non suxerit. Si fingas progeniem in infanti mundo, sive ex* recenti limo *confictam, sive* ex secto robore natam, *capitales in hisce Noachidis legum characteres apparent, quos* naturæ manus *in pectoris penetrali insculpserat! Unde est, quod parentes in filiorum amplexus proniruant, eorumq. ad genua filii provolvantur, nisi* ex lege? *unde est, quòd hominum myriades in unâ civitate, iisdemq. castris, linguâ & moribus diversi, in pace vivitent, quorum*

omnium

omnium una mens, eadémque manus, *nisi ex legis præscripto. Hæc animos toto cœlo dissitos devincit, & in unum coalescere cogit. Hæc* ferinos *affectuum* impetus *cicurat, & in catenis vel reluctantes pertrahit. Testor Cimmeriorum colluviem, Alanos, Gothos, Vandalos, alioſq; ab Aquilone catervatim glomerantes, qui in perniciem humani generis nati Romanum Imperium devastare conspirârunt. Hi postquam* Romanum nomen (*gente ad internecionem usq; bello fractâ*) *delevissent, eorum* moribus, legibusque victas manus *ultro concesserunt*; *quorum* posteri *per* Italiam, Hispaniam, Galliámque summum imperium *hodie obtinentes* Justiniani jugo *colla placidè submiserunt. Soli* Britanni toto orbe divisi *avitis moribus & Normannicis legibus (relegato penitus Romano Jure) mordicùs adhærent.*

At quantùm laciniæ muliebri mundo, vel inconditi Hybridum mo-

res

res Romanæ munditiei cedunt, tantum etiam Juris Justiniani corpus patrio juri *præponderat. Hoc enim* Scythicam *planè* truculentiam *& ignorantiæ* tenebras *plusquam* Cimmerias *prodit; illud verò semper sequitur ultimum dictamen intellectus practici. Imò est* scripta ratio, *quæ ex* Jure naturæ, *tum omnium gentium* moribus legibúsque, *à viris rerum prudentissimis quasi per Syllogismos collecta, jam per multa secula ubiq; omnium consensu usuq; obtinuit. Hæc fuit anima Assyriaci Imperii* vegetativa, *quæ ad Persas Græcosq; migrans in sensitivam transformata est. At sub Imperio Romano ad plenam pubertatem perfectumq; rationis usum crevit; per cujus prudentiam Romanæ Rei-publicæ fundamenta bonis moribus legibusq; adeò sunt stabilita, ut nemini mirum videatur Romam per mille & ducentos annos summum Imperium per universum terrarum orbem administrasse. Uti infinitæ superficies vel*

Animarum

Animarum myriades *coacervatæ & condensatæ in unum* corpus *coalescunt: ita innumera* Prudentum responsa *quasi tot* separatæ Doctorum animæ *ad staturam* corporis Civilis *crescunt*; *quæ sine ordine congesta* quindecim millia voluminum *adimpleverunt, jam verò exiguâ pelle Amalfitana compinguntur. In hâc tamen omnes humani actus in* titulos & paragraphos, *quasi tot artus & articulos, aliaq;* animati corporis *membra digesti habentur.*

Inter Titulos ad quos humani actus referuntur, nullus illo *de* Judiciis *&c. sanctior humano generi, nullus antiquior habebatur. Homo enim (cùm sit opus ex elementis tessellatum, ex quorum pugnâ nascitur) litium semina in sinu semper fovet. Quare placuit Summo rerum Arbitro duas* Juridicas *Præfecturas instituere, quorum alterum forum Poli seu* superius, בית דין העליון, *in quo ipse summus præses innocentum vota excipit, æternamq; ab iniquo*

Judice

Judice vindictam sumit. Alterum התחתון inferius *seu* humanum *Ebraei nominârunt. Hanc etiam inferioris subsellii jurisdictionem in primis mundi cunabulis sine Vicario exercuisse dignatus est. Nam pro tribunali sedens* Primum hominem *in jus vocavit, in eumq. læsæ majestatis peractum reum exterminii sententiam sic tulit: ut Diabolus in Ægyptum, Eva & Serpens in dissita territoria relegarentur; Primus homo procul à Paradiso in insulam maris Indici Sarandib dictam deportatus, (quam cùm sub Æquatore collocet Abulfeda, non multum distare à veterum Taprobana vero consentaneum est) hujus in altissimo monte, Rahon dicto, per* CXXX *annos inobedientiæ crimen suspiriis & lachrymis diluebat, & in Gange ad nares usq;, Tantali more demissus,* multo se flumine purgavit, *priusquam genuisset Sethum. Tales in Protoplastem pœnas supremum Judicem exercuisse volunt Arabes,* –hoc magno mercentur

centur Apellæ, non ego. *Postea annis Adami quingentis triginta quinque Abel cum fratre Caino altercabatur super hunc titulum de Judiciis, si vera narrant Magistri Israelis. Arixa ad arma ventum est, ubi Abel fratris manu cecidit. Deus ipse coram Tribunali suo Cainum solenni formula in Jus vocatum stitit, eumq; tanquam fratricidii manifestum reum ab Ecclesia, in qua Adamus vixit, & fratrum consortio procul abegit. Quæ sententia Excommunicationis seu* Nidduj *ad seros usq; Caini nepotes vigebat. Sethus enim (Adamo jam ex vivis exempto) posteros suos, juramento per Abelis sanguinem interposito, ex Hermone monte, ubi pastoritiâ vitam agebant, si Cedreno fides sit, descendere prohibuit, ne cum impia Cainitarum progenie se miscerent, quæ iisdem convallibus ubi Abel ferro cecidit, insidebant, ut Eutychius memoriæ prodidit.*

Ultimum judicium Supremus re-

rum

rerum Arbiter Cataclysmo reservavit, qui mundum sordibus scelerum inquinatum diluvio repurgavit, postea septem præcepta, *quæ Noachidarum nomine veniebant humani generis præcordiis insculpi curavit, inter quæ Titulus* דינים *de Judiciis primum locum semper obtinuit. Tali judicandi munere Deus ipse functus est usq; ad Semi ætatem, in cujus familia primogenituræ Jure Jurisdictio ad Abrahamum usq; perduravit, si Doctores Hebræorum vera retulerunt. Eandem prærogativam Archius Lotho tribuit, quem in porta Sodomæ Angelus tanquam* הראש הדין principem Judicum *salutavit. Quum verò Populus Ebræorum ad Corporis Politici compagem se redegit, Judiciorum ordo partim à Rege, partim à Synedriis per multa secula pendebat. At Assyrii, Persæ, cæteraq; gentes, antequam statam gubernandi formam accepe-runt, vicinos necessitatis lege ad Tribunal vocabant, ubi singuli prout*

prudentiâ

prudentiâ & morum candore cæteris anteibant omnium litium Arbitri constituebantur. At crescente Imperii mole talis fori simplicitas in desuetudinem abiit. Quare Judices viros canitie venerandos & longo rerum usu attritos certatim constituerunt, qui summum Magistratum, multiplici circa pacem bellumq; cura districtum, in causis cognoscendis adjuvarent. Idem mos Justitiæ excolendæ ad Ægyptios Græcosq; defluxit, ubi pro variâ rempublicam administrandi formâ aliam & aliam speciem induit. Athenienses, ut cæteros jam taceam, non solum omnium gentium Deos, sed leges, totumq; Judiciorum processum Atticâ civitate donârunt, nec non cæremoniis, aliisq; legum formulis (fuit enim gens non tantùm superstitioni, sed & novis inventis ultra modum dedita) forense tribunal adornârunt. Hinc Roma (quæ popularem hujus civitatis tyrannidem summè affectabat) duodecim legum tabulas, totumq;

totumq; judicandi ordinem mutuò accepit; & cùm illa innumeras penè gubernandi formas passa est, Justitia, quæ fuerat Reipublicæ anima, varios colores aliâ & aliâ ætate induebat: modò à Senatu ad Populum, & vice versâ provocatur: modò Milites armatâ manu in Jus commiserunt, modò Centuriones, Tribuni ex rostris victis civibus Jus reddebant: Ultimò Imperator sibi soli summam rerum agendarum arrogabat, litesq; omnium jure gladii terminabat. Infinitum esset cum pulvisculo excutere omnes Apiculas formulásque Furis, quæ per tot secula forum Romanum exercuerunt. Satis erit mihi, si totius Tituli enucleandi summam, quasi brevi Tabellâ depictam, ob oculos ponam. Quare cum Judicandi actus ex tribus personis, Judice, Actore, & Reo sit compositus, ad tria capita totius Orationis curriculum revocare statueram. At vereor ne de sacrosanctâ Judicis personâ, ejusq; munere apud Hebræos, Græcos, &

Romanos,

Romanos, verba facienti, tempu
nobis Clepſydrâ metiendum ſubter
labatur; ita ut partes Actoris & Re
non aliter jam agere poſſim, quàm u
me vobis obæratum tradam, quaſ
læſæ patientiæ conſitentem Reum,
Actoremq; brevi habituris. Interim
VOS *ex Auditoribus Judices conſti-*
tuo, uti ſpero, Æquanimos, *ant*
quorum Tribunal tum Actor *ſi*
cadoq; Reus.

RECITATIONES SOLENNES IN TITULUM De Iudiciis,

HABITÆ IN AUDITORIO JVRIDICO APUD OXONIENSES.

Vbi
De Perſonâ & Officio Judicis apud Ebræos, Græcos, & Romanos latè diſputatur.

RECITATIONES
Solennes in Tit. *De Judiciis.*

DE JUDICE.

De variâ Judicum appellatione tam in foro Attico quàm Romano.

CAP. Conſpectus.

I. *Totius opellæ delineatio.*

II. *Judicis Etymon.* Καταδικαστής, *quinam & quomodo à Prætore differunt?*

III. *Varia nomina Judicum in foro Attico.*

IV. *Quinam* Διαιτηταί, *et quomodo differunt à* Διαιτηταῖς?

V. *Quinam Diætetæ, eorúmque variæ ſpecies?*

VI. *Quinam Cognitores tribules?*

VII. *Quinam ſunt Arbitri Romani, & quomodo differunt à Diætetis Atticis?*

VIII. *Quantum interſit inter Arbitrum propriè dictum et Judicem Pedaneum?*

IX. *Disceptatores, Arbitratores quinam?*
X. *Recuperatorum potestas apud Romanos.*

Cap. I.

Licet magni viri summâ cum laude in hoc titulo desudârunt, & Laureolas ex hoc Mustaceo sibi pepererunt; hujúsce tamen loci consuetudine postulante, ut in eo adornando operam collocemus, satis erit nobis post uberrimam messem spicilegia tantùm instituere, & in ampliſſima differendi provincia summa rerum capita delibare. Cùm itaque judicium sit Actus ex *Judice, Actore* & *Reo* compositus, totum titulum, quasi orbem terrarum brevi tabellâ depictum, in tres partes digestum ob oculos ponam; quarum prima agit de *Judicibus*, secunda de *Litigatoribus*, tertia de *Foro competente*. De quibus actum sumus in sequentibus. *Judex*

Judex est (teste Isodoro) quasi populo *jus dicens*, & judicare quasi *jus dicere*; quam vocem è fonte Græco δικάζω petit doctissimus Varro. Hujus etiam ætate Prætor, qui jus solus reddere solebat, Judicis etiam officiũ subivit, ut Brissonius memoriæ prodidit. At horum munia sequiori ævo discreta fuerunt. Prætor enim non solùm juris dictionem, sed & publicum forum sibi vendicabat, & pro tribunali, ad quod per scalas ascendebatur, (indè à Græcis βῆμα nominatur) jura dabat. Judices verò sunt homines inferioris subsellii, qui à Prætore ad simplicem causarum notionem dati, quandoque etiam coacti fuerunt. Hi nulli foro addicti, neque alio gaudebant tribunali quam fortuito quodam scamno, vel Collatitio: ut plurimùm humi sedebant, unde à Græcis χαμαιδικασταὶ passim habentur. Horum cognitio ad leviores causas, quibus Magistratus per occupationes II l. 1. 8. Origin. c. 15. l. 5. de ling. La l. 5. de f. p. 369.

cupationes vacare non poterant, Diocletiani & Maximiani sanctionibus coactabatur.

III

Hujusmodi *pedanei* Judices in foro Attico (à quo Romanum leges suas acceptas tulit) δικασταὶ quasi δικασταὶ, *Divisores*, *Partitores*, nominantur; non rarò μισθῶται, quia Judex inter litigatores medium semper tenere obligatur. Interim dissimulare nequeo διαιτηταὶ Athenienses (quos à δικασταῖς in multis differre ex Harpocratione, & Demosthene discimus) hisce *pedaneis* omninò respondere. Sit Author instar omnium Isocrates in *Permutatione*; ὅτε ἐν τοῖς συνεδρίοις, ὅτε περὶ τὰς κρίσεις, ὅτε ἐπὶ τοῖς δικαστηρίοις, ὅτε παρὰ τοῖς διαιτηταῖς. Unde colligere licet tria Judicum nomina inter Atticos celebrari; 1. κριταὶ. 2. δικασταὶ. 3. διαιτηταὶ. Vox κριτὴς quasi communis denominatio omnes Judicum species complectitur, ut & *Vox* κρίνειν omnes Judicandi figuras in se habet; quod

l. 4. c. de ped. Jud.

Arist. 5 Ethic.

hisce

hisce verbis indicat Isocrates oratione supra laudata, μηδ' ἐξ, μήτε διαιτᾶν, μήτε διαιτητὴν, ὅστις περὶ τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων φανήσεται κείσεις χρώμενος, Νεᾶς δικαστὴς, νεᾶς διαιτητὴς de meis factis unquam judicârit. Ibi κείσεις tam δικαστὴν quàm διαιτητὴν suo ambitu comprehendit.

IV. Nomen δικαστὴν apud Græcos Oratores varias patitur significationes; quandoque abusivè sumitur pro Arbitris Compromissariis, apud Lucianum in Abdicato, ἢν δέ τινες ἑκόντες αὐτοὶ σωφρονῶσι δικασταὶ, καὶ μεσολαβοῦσι σπονδὰς διαιτᾶν, ὑμῖν. ὅσις δὲ ἐξὸν μηδὲ ἀρχὴν ἐμβλύνειν, εἰ τύχοις τισὶ θαῤῥεῖν ἔλεσθε, σέβεσθε δὴ δίκαιον τῶν ἐγνωσμένων. Porrò siqui suâ sponte Judices constituerint, delectisq; Arbitris causam permiserint, posthac non idem licet. Etenim siquis quorum sententiis initio stare non cogebatur, hos sponte delegerit, jam æquum est boni consulere, quæ statuerint. Palàm est Lucianum hìc agere de Tribulibus Disceptatoribus, qui

διαιτηταὶ passim appellantur; ho
tamen abusivè διαιτηταὶ vocat
quos ab illis longè differre ex Har
pocratione constat. ἔτοι μὲ γὸ ἐν δικα
στηρίοις ἐδίκαζον ἀποδιατεταγμένοι, καὶ τὰς ἀπὸ
διαιτητῶν ἐφέσεις ἔκρινον. *Nam Judice*
in assignatis foris judicabant, déqu
sententiis Diætetarum ad eos remissi
decernebant. Ab hisce Cognitori
bus ad Judices supremæ auctorita
tis ἔφεσις, seu provocatio, omnin
fiebat, quorum decreta nullo pact
retractari unquam poterant. Tan
tam huic Tribunali potestatem con
cessit Solon, ut nulla lis incideret
de qua Judicium non redderen
τὰ διαιτήματα ὅσα ἐν τῶν πολιτῶν. Popul
res isti Judices, tam absolutâ Juris
dictione & potestate planè regi
præditi fuerunt, ut Solonis leges (cu
jus Ἄξονες verbis non planè liquidi
ex industria exarabantur) interpre
tari, corrigere, veteres abrogare
novas substituere pro arbitrio po
tuissent: quod Plutarchus clarè no
docet in Solone, λέγεται γὰρ καὶ τὸν νόμ
ἀσαφέστε

ἀναβάσεις καὶ, ἃς πολλὰς αὐτὶ λήψεις ἔχον-
τας, αὐξήσας τῇ δικαστηρίων ἰσχύν. καὶ συναμβάλ-
λων τὸν τῶν νόμων διαλυθῆναι, ἐφ' ὧν διαφέ-
ροντο, πιθόμενον ἀεὶ δεῖσθαι δικαζῶν, καὶ πᾶν
ἄγειν ἀναγκαῖον πρὸς ἐκείνες τῶν νόμων ὅπου
τινὰ κινεῖσθαι. Ex hisce liquet Juris-
dictionem τῶν δικαζῶν in immensum
sese diffusisse; ad quam non tantùm
provocationes in gravissimis negotiis spectabant, sed lites cujuscunque generis horum auctoritate terminabantur: quod hisce verbis indicat Plutarchus, τὰ πλεῖστα τῶν διαφερόντων εἰσπίπτειν εἰς τὸ δικαστήριον. Plut. in Sol.

In Judicum censu, ab Harpocratione reponuntur Diætetæ: quo nomine etiamsi tam Arbitri compromissarii, quàm causarum privatarum Disceptatores ordinarii promiscuè gaudebant; in Jure tamen Attico longè diversi videntur. Arbitri enim compromissarii erant διαιτηταὶ αἱρετοὶ, de quibus inter partes convenerat: Disceptatores isti κληρωτοὶ erant, à tribubus electi. Horum cognitio non censebatur v.

δίκαιον ἐπιτρέπειν; quia si *partes* eorum sententiis stare recusabant, poterant ad δικαστὰς provocare. Illis absoluta & ultima controversiarum decisio permittebatur; ita tamen ut Litigatores solenni quâdam formulâ observatâ, auctore Demosthene, εἰς ἐπιτρόπους ἐρχόντες, ὀμόσαντες συνθήκας, ut partes coram Arbitris stantes interposito etiam Juramento sanctè promitterent se μενεῖν seu staturos iis, quæ illi decernerent. Ad hunc morem allusisse videtur Isæus, quandoque Dicæognis hæreditatem agit, ὀμόσαντον τοὺς ἐπιτρόπους ἐμοὶ γενέσθαι ἐπιτροπεύσειν. Quæ Arbitros cõstituendi formula à Græcis Rhetoribus dicitur δίκαιον ἐπιτρέπειν, à Latinis *permittere*. Unde Plautus in Curculione de Arbitris verba faciens,

vl. Isæum loc. audat.

T. Livius l. 37.

——C. *Tibi permittimus*
Dum quidem Herclè ita judices, ne
quisquam à me argentum auferat.

Dum quidem &c. Hinc colligere obvium est, quòd Arbitris res ita permittebatur, ut condemnatio non posset rem certam, aut summam de quâ inter partes convenerat, excedere. Hujusmodi sub certis conditionibus arbitrium Isocrates vocat ἐπὶ ῥητοῖς ἐπιτρέπειν, qui cùm adversario se ita transegisse dicebat, ut ducentas ei drachmas daret, ac ne postea calumniandi locus esset, Nichomacho arbitrium ἐπὶ ῥητοῖς, eâ scil. lege permissum, i.e. ut pluris condemnare non posset. Hæc mutua & cum Sacramenti juramento obsignata partium transactio tantam auctoritatem Arbitris creavit, ut ab eorum sententiis vel latum unguem recedere nefas ducebatur. Id ita sancitum erat eâ lege quam habemus apud Demosthenem in Midiana, ἐὰν δέ τινες περὶ συμβολαίων ἰδίων πρὸς ἀλλήλους διαιτᾶσθαι τῶσι, καὶ βάλωνται διαιτητὴν ἐπὶ ῥητοῖς ὃν

Isocrat. adverſ. Callim.

Isocrat. in Trap. adverſ. Callim.

Lucianus in Abdicato

v. Petit. Com. in Leges Atti-

Attic. tit. 5. de Arbit. v. Herald. Animad. ad Jus. Attic. & Roman. l. 5. cap. 14. par. 10.

τιτὲν, ἐξέσω αὐτοῖς αἱρεῖσθαι ὃν ἂν βέλωνται διαιτητὴν. ἐπειδὰν δὲ λωνται χὴ κοινὸν ὁμολογήσωσιν ὑπὸ τούτῳ διαγωνιῶσθαι, καὶ μηκέτι καταβοήσωσιν ὑπὲ τούτῳ ἐφ' ἕτερον δικαστήριον ταῦτα ἐγκαλέσαντες, ἀλλ' ἔσω τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῦ διαιτητῦ κύρια.

Si quæ existant inter aliquos controversiæ, quas alicujus arbitrio decidi velint, liceat eis eligere quemcunq; volent. Cùm autem eâ de re convenerit, iis, quæ Arbiter decreverit, stanto, neq; easdem controversias ad alios judices deferunto: sed quæ ab Arbitro judicata erant, rata sunto. Hinc constat Arbitrium γνῶσιν fuisse omnino κυρίαν, i.e. irretractabilem, & utriúsque partis consensu δικαστήριον constitui (ut cum Platone loquar) κυριώτατον, summæ potestatis, cujus decreta minimè omnium retractari possunt. Alia fuit Arbitri in foro Romano auctoritas, de quâ statim videbimus.

lib. 6. de Legibus.

VI.

VI. Suidas Pollux l. 8. c. 10. Ulp. ad Demoſt. Midian.

Alteram διαιτητῶν ſpeciem cognitores tribules conſtituunt, qui non ab Archonte dabantur, ſed à Tribubus ſorte capti, iíque ſexagenariis non minores, integri vitæ ſceleriſque puri. Sortitò inquam dabantur, τέτταρες καὶ τεσσαράκοντα καθ' ἑκάστην φύλλε, quadraginta quatuor ex unaquâque tribu (teſte Ulpiano,) ita ut in univerſum quadringentos quadraginta conficerent. Hi de cauſis inter tribules tantùm diſceptabant, Advenarum verò lites cognoſcere ad forum Arbitrorum nullo modo ſpectabat. In hæc verba Suidas, ξένοις μὲν πίρι ὅπι τῶν ἀλλοτρίων ἐ συγκαίρουσιν. Coram hiſce Controverſiæ de rebus omnibus Civilibus, quarum æſtimatio ὑπὲρ δέκα δραχμὰς, *major* (teſte Polluce) *decem drachmis* taxabatur, terminari ſolebant. Aliquando de Criminalibus cognoſcebant, uti de furto, ſed in damnatos ſententiam ferre l. 8. c. 10.

non

v. Demoſt. in Androtiana.

non audebant: Arbitrorum enim ſententiæ ratæ non habebantur, niſi ab Archonte prius erant obſignatæ & ſubſcriptæ. Ob diminutam hanc eorum poteſtatem (non quòd de rebus minimi momenti agebant) Demoſthenes ſcriptis mandavit, μικρότερα ἦν τὰ παρ' αὐτῆς διοικούμενα. Conveniebant, ut plurimùm ἐν τῇ ποικίλῃ στοᾷ, in publicis locis; quandóque etiam & in ſacris, ſed huic uſui maximè dicatis. Nam Athenis forum Juridicum ſingulis Tribubus aſſignabatur, ubi Arbitri (poſtquam juramentum præſtiterant ſuper lite cum omni veritate dirimendâ) à primo mane uſque ad occaſum Solis litibus componendis vacabant: quâ horâ ſi pars rea *Arbitrio* non ſtaret, tunc Arbiter præſenti litem addicebat; juxta illud Demoſthenis, μὴ φανέντος τοῦ ἐνγυητοῦ κατεδίκαζεν ὁ δίκην. Hiſce ab Actore *una* drachma mercedis lo-

In Midian.

l. 8. c. 6.

co, (quam Pollux ἡμιδράχμιον, alii

alii διάιτας nominant) dabatur; *alia* etiam ab adversario ὑπὲρ τῆς αὐτομοσίας, cùm de calumniâ juraret. Tenebantur certis diebus in unum locum convenire; ut si quis eos accusare vellet *Sententiæ* per *gratiam* vel *odium*, vel *sordes* dictæ, ad accusationem respondere possent. Solebant quolibet anno, ὅταν τὰς ἀρχὰς καταθῶνται, suæ gestionis rationem reddere, quam incidere scribit Ulpianus in ultimum diem Thargelionis, ὃς ἦν ἐνάτῃ μὲν παρ' Ἀθηναίοις; ita ut ex mente Demosthenis postrema dies in negotio τῶν διαιτητῶν erat ἡ τελευταία Thargelionis, quæ cum sit ἕνη καὶ νέα ad Scirrophorionis νουμηνίαν pertinet. Inde legimus apud Ulpianum Μετὰ ἓν κακύργως ἐφύλαξε τὴν τελευταίαν ἡμέραν, τὴν τῶν Θαργηλιῶνος, ἣν ἔνιοι εἶναι καὶ νέαν, τινὲς δὲ νουμηνίαν νομίζουσι, καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἦσαν τῶν διαιτητῶν ἐν ἅπασιν ἐπὶ τὰς εὐθύνας, νομίζοντες ἐκβεβηκέναι τὸν μῆνα. Postquam privatæ causæ inter hos minores Judices

Ulpian ad Demost. Median.

Aristoph. Interp. ad Vespas. in voce ἐχθρὸς.

Judices anxiè disceptatæ fuerant ad superiores Judices ἐν τοῖς δικαστηρίοις exagitandæ veniebant. Aliquando ipsi διαιτηταὶ, abdicatâ à se eorum cognitione, εἰς τὰ δικαστήρια rejiciebant, quod hoc ordine peractum: *Disceptator Tribulis* in Archontum manus tradit omnia litis instrumenta, eâque in Cistas, aut vasa, sive fuerint ænea sive figulina, (ab Atticis Ἐχῖνοι vocata) conjecta & obsignata. Hæc postea Archon in judicium transferri jubet. Ex prædictis duo colligere licet, 1°. Cognitorum Tribulium auctoritatem non fuisse Delegatam ab Archontibus, sed à Tribubus, penes quas erat summa potestas jure Attico constituta. 2°. Licet hi Arbitri δικασταὶ propriè non nominantur, fuerunt tamen minores Judices & generali acceptione κριταὶ.

VII. Diximus supra διαιτητὴν in foro Attico cum Arbitris Romanis per omnia non quadrare; ideo de hisce ex integro sermonem instituam.

ſtituam. Sunt itaque Arbitri Judices voluntarii & compromiſſarii; quia partes litigantes in eos compromittunt, ſeſéque invicem obſtringunt certæ pœnæ ſponſione & ſtipulatione, vel etiam interdum nudo pacto, interdum & jurejurando, quod ſententiis eorum, quas vulgò *Laudum* vocant, ſtare velint. Si quis Arbitri ſententiæ non parebat, non ſolùm in pœnam compromiſſam, ſed etiam in perjurium incurrebat. Verum eſt quòd rei judicatæ exceptio non naſcebatur ex cõpromiſſo, verùm pœnæ tantum petitio; niſi forſan dicas qd *Actio incerti* datur, ad id qd intererat, contra eum qui Arbitri ſententiæ ſtare recuſabat. Quid ſi una pars in ſententiâ Arbitri ſemel ſubſcriptâ ſe acquieſcere pronuntiat, nihilominus ſuper eandem cauſam de Novo lites intentat? Reſp: quod ex conſtitutione Juſtiniani

l. 1. c. de recep. arbit.

l. 21. D. de Recep.

l. diem proferre 27. par. ult. D. de recep.

Justiniani prolatâ semel Arbitri sententiâ depellatur, et per Actionem taciti pacti, vel in Factum, is qui subscripserat, compelli debet ea facere, quibus consenserat.

d. l. 4. par. ult. de recep. arbit. d. par. ult.

VIII. Cum Arbitri Judicis partibus aliquando fungantur, & arbitria ad similitudinem judiciorum (inquit Paulus) sint redacta, haud facile est discernere quantum intersit inter Judicem & Arbitrum. 1°. Utérque ex consensu partium dabatur; at in Judice stipulatio pœnæ et jusjurandum non intervenit. II°. Fas est læso ab iniquâ judicis sententiâ ad superiorem Judicem appellare; sed ab Arbitris non licet, ob metum vel pœnæ, vel perjurii. Accedit, quòd Sententiæ Arbitrales (quales feruntur illæ Tiresiæ, & Idæ apud Apollodorum) sunt ut plurimùm absque ullo fuco aut obscuro odii invidiæve livore. vid. Scholiasten Horatii

l. 1. D. de rec. arbit.

Hugo Grot. Fl. Sp. ad Jus Justinia. p. 120.

Horatii ad illa verba *Splendida Arbitria.* III°. Judex ad certam formulam est adstrictus, à quâ ne latum quidem unguem ei recedere liceat: Arbiter ex æquo et bono disceptandi potestatem sibi arrogat, secundùm illud Arist: ὁ μὲν δικαστὴς τὸ ἴσον ὁρίζει: ὁ δὲ διαιτητὴς, ὁ δὲ δικαστὴς τὸν νόμον: vel ut Ciceronis verbis utar, *Quid est in judicio? directum, asperum, simplex,* SI PARET LIS IOOO DARI OPORTERE: *Hinc nisi planum fecerit sestertiûm septingenties ad libellam sibi deberi, Causam perdit. Quid est in arbitrio? mite, moderatum.* QUANTUM ÆQUIUS ET MELIUS ID DARI, &c. IV. Judex est homo privatus, à Prætore causæ alienæ addictus: Magistratus aliquâdo Arbiter constituitur. V°. Parum refert an Arbiter sit integræ famæ, an læsæ, Judex qui ullâ ignominiæ notâ

l.1. Rhet.c.13.

Cic. orat. pro Q. Roscio Comœdo.

Cassiodorus l. 3. 17.

Leg. 7. D. de Arbitris. Ulpian.l.13.ad edictum.

notâ inustus est rejicitur. VI. Acto præstare debet coram Judice cautionem de lite persequendâ, quam Arbitro præstare non cogitur. VII. Arbiter, cui præscribitur quod pronunciare debet, amittit officium suum; cùm arbitrium nihil aliud sit, quàm libera facultas dicendæ sententiæ: aliud est in Judice, qui officium suum non perdit, etiamsi sequatur in sententia id quod placuit controvertentibus.

l. 13. par. item Pomponius D. de recep. Arbit.

IV

Non est cur Disceptatores è numero Judicum eximem, quorum officium est διαιτᾶν τὸν δίκαιον, de jure litigantium tum disceptare, tum cognoscere: Arbitri est (hoc enim discrimen inter utrumque ponit Ulpianus) pronunciare. At Cicero pro Flacco Populum Romanum tum disceptatorem tum Judicem supremâ potestate constitutum asserit, hisce verbis; *Quare si quis illuc me vocat, Populum*

l. 11. D. de recep.

l. si unus 17. par. 3. D. eod.

Populum Romanum disceptatorẽ non modò non recuso, sed etiam depoſco. Pari paſſu etiam & Livius, *Eodem anno inter populum Carthaginenſem & regem Maſiniſſam Diſceptatores Romani de agro fuerunt, i. e.* Arbitratores: eodem enim cenſu reponi poſſunt, qui quaſi nudi mediatores interveniunt in actibus extrajudicialibus, et contractibus, cùm de re aliquâ inter ipſos contrahentes non convenit; veluti ſi in contractu ſocietatis partes ſociorum, in Emptione pretium, in locatione merces, in arbitrium certæ perſonæ conferatur. l. XL. l. 75. cum ſeq. pro ſoc. l. ult. C. de contrac. Empt.

Dabantur quandoque judices, qui de facto, tam in Civilibus quàm Criminalibus inquirebant, cognoſcebántque: hos Romanæ hiſtoriæ Scriptores nominant Recuperatores, quorum innumera exempla apud Ciceronem occurrunt; ut, *Cæpit Scandilius Recuperatores, aut Judicem poſtulare.* X. In Verr. 5.

Item

Item; *Hîctu medicum, aruſpicem, & præconem tuum Recuperatores dabis.* De hiſce mentionem facit Tacitus, ubi de crimine repetundarum agit. *De pecuniis repetundis ad Recuperatores itum eſt.* Legimus apud Livium Hiſpaniæ utriuſque legatos de magiſtratuum Romanorum avaritiâ, ſuperbiáque in Senatu conqueſtos fuiſſe, ac manifeſtum fuiſſe pecunias acceptas. *Cannicio qui Hiſpaniam ſortitus erat, negotium datum eſt, ut in ſingulos, à quibus Hiſpani pecunias peterent, quinos Recuperatores ex ordine Senatorio daret; patronóſque quos vellent, ſumendi poteſtatem faceret.* Ex facto igitur de quo Recuperatores inquirebant, & pronuntiabant, jus poſtea ſequebatur, quale legibus erat conſtitutum, aut etiam quale ab ipſo Magiſtratu conſtituebatur. Luculentum admodum exemplum ſuggerit Cicero in Verrina, ubi

l. 1. Annal.

l. 43.

Oratio tertia.

Agyri-

Agyrinenſes (quos perdere inſtituebat Verres) ab improbiſſimis Recuperatoribus ad virgas damnati fuerint. Hactenus de Judicum variâ appellatione tam in foro Attico, quàm Romano; ſequitur perſona Judicis.

DE

DE

PERSONA JUDICIS

Cap. Conſpectus.

Par. I. *Tria requiſita ad legitimum Judicem conſtituendum.*

II. *Quomodo ex naturali Paritate Imperium primò naſcebatur, & Imperator curarum mole obrutus humiliora negotia ad Judices remiſit.*

III. *Prima Judicum inſtitutio inter Ebræos. Creandi ritus inter Rabbinos per manus impoſitionem quandoque per Epiſtolam; unde fluxit mos Presbyteros creandi per χειροτονίαν.*

IV. *Forma Reipublicæ Atticæ ſub 9. Archontibus.* Δικαστήρια *Athenienſium quo jure ſtabilita ſunt à Solone? Oligarchica poteſtas in Democraticam recidit. Decem Tribunalia, quorum* 5. τῶν κοινῶν πραγμάτων, 5. τῶν δημοσίων *agebant*

ſua

sunt constituta. Quâ sorte fora sua Judices nanciscebantur? Qualis fuerit ἀνδὸς δικασικὸς? *Stipendia annua Judicum ad centum quadraginta Talenta excrescebant. Judices Attici Quater mille nongentos octoginta numero rarò excedebant. Quantum malum Urbi peperit tanta hominum turba?*

V. *Quis Romanis Jura dabat sub Regibus? Quantum sit discrimen inter Imperium Merum, & Mixtum? Judiciarium munus* λειτουργίας *Speciem subinfert. Philosophis ab hoc munere Vacatio conceditur.*

VI. *Consulis Etymologia & dignitas. Vox Prætoris vel Judicis Consule Antiquior. Prætoriæ dignitatis origo. Formulæ Judices dandi apud Romanos. Prætor Honoratus quis? Prætorum numerus eorúmque officia. Cæsarianæ provinciæ præsidibus regebantur.*

VII. *Formula postulandi Judices, à Præto-*

Prætore. Rejectionis formulæ
Quoúsque durârunt χαταδικασεις
Regulas à Prætore præscriptas te-
nebant.

VIII. *Legatis Jus dandi Judices le-*
ge conceditur. Jurisdictionem
mandare nefas. Cæsaris procura-
tor qualis fuit? Pontio Pilato
Judicis dandi potestas erat.

IX. *Tres hominum ordines à Judicis*
dando prohibentur. Privatorum
Consensus non creat ordinarium
Judicem. Actor & Reus Juris-
dictionem ex consensu conferre
non possunt.

X. *Judex Pedaneus alium non dele-*
gat. Textus asseritur contra Sal-
masium. Judiciarium munus no-
tionem tantùm cognoscendi im-
portat.

XI. *Proconsul proprio Jure Juris-*
dictionem non transmisit. Muni-
cipalis Magistratus exercuit Ju-
risdictionem Simplicem. Licentia
creandi Judices vim imperii ma-
gis redolet quàm Jurisdictionem

XII.

XII. *Quales Judices Zeno constituit in foris Constantinop. Urbis? Ut Justinianus eos duodecim numero stabilivit?*

Qui Judices Dare Possunt?

Cap. II.

JUdicis persona, qualis illa Rhadamanthi inter Poëtas, sacro-sancta passim audit; cujus mens conscia recti, Deo (illius enim vicariam potestatem sustentat) similis videtur: Pectus habeat omni terrenâ fæce decoctum, & *ad Pondus usq;* temperatum, in quo habitet ingenium verè virile, quod puerili affectu sepositio in Justitiæ æquilibrio firmiter consistat, & neutrâ ex lance, nisi ubi rationis pondus cogat, propendeat. Sunt alia multa, quæ ad nostrum *Creticum* legitimè componendum concurrunt, sed facilè possunt ad Tria capita re-

vocari. 1°. Ut quis auctoritate publicâ constitutus præsit judicio, ut vel ipse jurisdictionem habeat, vel datus sit ab eo, qui judicis dandi licentiam habuit. 2°. Ut datus sit is, qui dari potuit; neque ex numero illorum sit, qui Judices esse prohibentur. 3°. Ut non sit ex justa aliqua causa suspectus, ob quam possit recusari, & rejici.

II. Homines in naturali statu liberi nascuntur, & pares, in quâ paritate semper remansissent, nisi necessitas quædam politica illos in ordinem coegisset, ut alii præsint, alii subsint: ne enim debiliores potentiorum viribus opprimerentur, vi quædam publica & quasi *vindicativa* intervenit, quæ miseriâ laborantibus succurreret. Hæc vis, multo omnium consensu, in unum aliquem, vel plures, eo fine translata est, ut totum corpus contra vim externam partim muniretur, partim ut membra jus & æquum interse observarent. Utrumque officium

summ

summus magistratus administravit, idemq; fuit Imperator, & Judex; qui ut Vindictæ gladium dextrâ manu in hostes fortiter stringebat, ita finistrâ Civium lites sceptro placidè componebat. At crescente imperii mole Princeps, multiplici circa pacem bellúmque curâ districtus, à forensi strepitu consultò se subduxit: quòd sic majestati suæ, & publico bono meliùs consuluisse videretur. Sibi soli reservavit rerum agendarum summam; uti de bello, pacéque, de Honorariis Advocatorum, Medicorum, Professorum liberalium Artium, & id genus similium: cætera verò jurgia fori, civiúmque altercationes componendas ad Judices remisit.

III. Hunc morem Moysem Hebræorum Legislatorem observâsse scriptis mandatum est. Ipse enim, (recepto Noachidarum Jure דיין אחד *Unicus Judex* factus) se tot ac tantis negotiis undique

v. Seld. D. Jure &c. l. 7. c. 6. p. 813. De Synedr. l. 1. c. 15. p. 609.

dique obrutum, ac tot millium litibus expediendis imparem sentiens, de judicibus instituendis Jethronis hortatu consilium cepit. Collectis igitur undique זקני ישראל *Presbyteris cunctis Israelis* (Philo nuncupat δημογέροντας ἱδίους) quos Jethro convivio exceperat, ex eis septuaginta (teste Maimonide) per manus impositionem, quam Ebræi סמיכה vocitant, Presbyteros creavit; hâc vetustissimâ usus formula יהיה סמוך *Sis creatus*, aut אני סומך אותך *Ego te creo*. At sequiori ætate præsentes דבור בלבד *verbis conceptis tantum* absque manuum impositione, absentes per Codicillos rite creari potuere. Absque tali solemni creationis ritu nemo in Republica Judaica, aut præfecturæ Juridicæ capax fuit, aut in Judicum collegia aut Synedria cooptari potuit. Inde est quod Maimonides asser-

Exod. 19. 7. De vitâ Mosis l. 1.

Trâct. San. c. 4.

Sepher Juchasin folio. 60.

דך

צריך שיהיה כל אחד מהן סמוך *oportet ut unusquisque eorum sit creatus.* Ideò primus ille legislator per manus impositionem Jehoshuam successorem suum creavit, seu עשהו רב fecit eum Rabbinum vel Doctorem, cujus χειροτονίας beneficio Jehoshua sapientiæ Spiritu Sancto רוח הקדש afflatus est, juxta illud Eliæ ומלא רוח חכמה כי סמך משה את ידיו עליו *Et plenus erat Spiritu sapientia, quia Moses posuit super eum manus suas.* Idem dictum putes de 70. Senioribus, super quos *Majestas Divina* (teste Maimonide) *eodem momento insedit, quo Moyses per manus impositionem Judices creavit.* Hisce potestas data est alios creandi Judices tàm in Synedrio XXIII. virorũ, quàm in foro Trium-virali; Talmudici enim hanc regulam tanquam ab omnibus receptam palàm profitebantur כל מי שנסמך סומך לתלמידיו *Quisque* loco laud. Num. 27. 23. v. Seld. de Synedr. p. 553.

ritè creatus discipulos ritè pote creare. Qui mos ab ipsis Mosaic temporibus perpetuâ quâdam seri per manus traductus in Eccles Christi adhuc manet, cujus fundu habemus in Epistolis a Timotheum scriptis; ἐπ ἐν σοὶ (de gratiâ loquitur διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου, quasi Pa lus solùm per manus impositione gratiam contulisset; quod à vet stissimo Ebræorũ more non omn nó abhorret. Interim hoc nota dum neminem in Judicum colleg ritè cooptari, nisi à summo int Ebræos magistratu prius debit cæremoniis initiatus, et ad id m neris legitimè vocatus.

1 Tim. 4. 14. Ep. 2. c. 1. 6.

IV. Hactenus de ritu et auct ritate creandi שופטים seu יים inter Ebræos. Restat jam ut s lennem morem constituendi Ju ces inter Atticos paucis expedia Regimen Athenienſium plures fo mas diversis temporibus indueba Reges ab initio Athenis imper bant, quibus abdicatis potestas

paucorum manus devoluta est; unde Oligarchiæ cum Democratiâ temperatæ species oriebatur: quippe quòd ἔνιαι Ἄρχοντες novem magistratus quotannis à Civibus electi, non tam Jura dabant, quàm Pedaneorum Judicum vices supplebant, usque ad Solonis ætatem. Suidas, κύριοί τινες ἦσαν οἱ ἐνιαύσιοι Ἄρχοντες οὓς πρὸς τὰς δίκας αὐτοπλεῖς ποιεῖσθαι. ὑπῆρξε γὰρ Σόλωνος αὐτοῖς νομοθετήσαντος αὐτοῖς δίκην ἐπενεγκεῖν αὐτῶν ἐτελεῖτο, ἢ μόνον ἀναγιγνῶναι τοῦ ἀντιδίκου. Horum potestas in tantum diminuta est à Solone, ut nihil reliquum haberent præter nudam ἀνάκρισιν. Fas erat litigantibus Magistratum adire Jus postulandi causâ, illi tamen lites dirimere non audebant. Vindicias forsan dabant, & quædam Judiciis præparatoria statuebant, ita tamen ut ab iis nullo negotio provocatio seu ἔφεσις fieret εἰς τοὺς δικαστὰς κληρωτὰς ὅτε ἐκ πάντων, Aristot. Polit. l. 2. c. 10. Suidas Arch. Plutarch. in Solone

ad Consistoria quædam popularia à Tribubus sorte capta, in quibus to-

ta vis imperii & quasi suprem
potestas stabilitur. Solon,
l. 2. Polit. ut æquam omnibus civibu
libertatem constitueret, Democra
ticam cum Oligarchicâ Archon
tum potestate ita miscuerat, ut re
publica (totâ vi imperii ad popu
lum translatâ) formam induere
merè Democraticam: διὸ καὶ μάμφεται
πρᾶξαι τοῦτο, (inquit Aristoteles) λύσαι
δατέρων κύειν πάντα τὸ δικαστήριον ποιῆ
κληρωτὸν ὄν. Hujus generis Tribuna
lia, ad causas tum publicas tum pri
vatas discceptandas, decem Athen
constituta fuerunt. Quorum quinq
ἐν οἷς περὶ φονικῶν πραγμάτων ἐδίκαζον, i. e
de criminalibus agebant; quale hi
betur I. *Tribunal* τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ.
II. τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ. III. τὸ ἐπὶ Πρυτανείῳ
IV. τὸ ἐν Φρεάτοι. quibus Judices, quo
Ephetas nominârunt, Ἀ
Pollux l. XIII. c. X. ἐφέταις elecți præsidebant
Horum censu Senatus A
reopagiticus reponendus videtur
quippe quòd Senatores Areopagi
tici ἐδίκαζον τῶν ἐπ' αἰτίαι δικαιωμένω

ut auctor est Pollux. Restant itáque sex περὶ δικαστῶν πραγμάτων. Quorum primum celeberrimum illud *Heliæa*. 2dum, *Trigonum*. 3um, *Parabystum medium*. 4um, *Parabystum majus*. 5um, *Forum ad Lycum*. 6tum, *Tribunal Metichi*. Præ foribus uniuscujúsq; fori characteres decem literarum A. B. Γ. Δ. &c. infigebantur, totidémque erant *Tabellæ*, quarum aliæ aliis harum decem literarum essent notatæ. Jam quicunque, sive sint θῆτες sive cives Attici, (omnibus enim ex Æquo licuit) judiciis reddendis vacare vellent, unam ex hisce literis forte captabant, & unicuíque pro literæ tenore forum eodem charactere exaratum à præcone affignabatur: ejúsque in manus *Tabellam*, in quâ nomen tum *illius* tum *fori* inscriptum videbatur, Præco tradidit; necnon virgam Judiciarii muneris insigne, ubi etiam & fori nomen pellegebatur. Ultimò τὸν μισθὸν

loco laudato.

Aristoph. Schol. ad Plutum.

Arist. de Rep. Athenien.

apud Schol. Aristophanis in Vespis.

μισθὸν δικαστικὸν mercedem; quæ pro libidine Demagogorum modò aucta modò acciſa erat, Judices jam ſorte capti recipiebant. Anno primo & 2do Olympiadis 89. quo Veſpas docuit Ariſtophanes, τὸ δικαστικὸν erat unus obolus; at anno 4to Olympiadis octogeſimæ octavæ, quando idem Comicus Ἰππῆς in ſcenam produxit, ſingulis in ſingulos anni dies triobolum in ſtipendium procedebat: quod Judicibus quinquies mille viritim collatum, in anno Lunari, ex diebus trecentis quinquaginta quatuor conſtante, conficiet annuum Judicum ſtipendia centum & quadraginta Talenta cum triginta minis; non μυριάκοντα τάλαντα, ut Docti colligunt ex verbis Bdelycleonis apud Ariſtophanem. Dixi quinquies mille Judices; at ſi calculum exactè ineamus, in univerſum quater mille, nongenti, octoginta, & non plures, ex urgunt

v. Schol. Ariſto. in Ἰππῆς.

Petit. Com. in Legas Atticas p. 325.

exurgunt. Nam si singulis ex novem Tribunalibus quingentos Judices ascribas, eisque addas διακοσίους τοῦ κλήρωτοῦ quadringentos quadraginta, quorum quadraginta quatuor unicuique foro præfuerunt, hisque accedant οἱ ἐπὶ δέκα δικασταί numero quadraginta, hæ summæ simul collectæ non excrescunt ultra quater mille nongentos, ut supra monuimus. Difficile dictu, quantam injustitiam, quot tumultus ac seditiones in urbe Athenienſium, quantas denique calamitates bonis viris numerosa hæc Judicum caterva creavit. Scriptores Attici non paucos enumerant, alios virtute bellicâ, alióſque morum gravitate & prudentiâ civili insignes, qui in foro Attico (ubi pars major vincit meliorem) partim ex stupenda Judicum inscitiâ, partim ex studio partium innocentes cadebant; quorum alii gladio percussi, alii veneno sublati, alii denique Ostracismo mulctati. Quin & terra Attica magnos

magnos & non necessarios sumptus faciebat: nam quum annuus proventus bis mille Talenta rarò excederet, ex reditu tam exili centum quadraginta populari huic catervæ nutriendæ quotannis impendebat. Sed ab Atticis ad Romanos transeo.

V. Romani Antiquissimis temporibus summam rerum soli Principi detulerunt, qui non solùm jura magistratus exercuit, sed etiam ordinarii Judicis vicem supplevit: nisi quando de civis capite agebatur, tum provocatio jure antiquissimo ad populum fiebat; quod postea sub Consulibus lege etiam Valeriâ interposita renovatum. In rebus autem Sacris Pontifices, Flamines, totúmque Augurum Collegium jura dabant, & Ecclesiastico Tribunali præfuerunt. At mutatâ reipublicæ formâ tota vis Imperii inter plures, p. Consules, Proconsules, Prætores, Quæstores, Præfectos Urbi, partita; ita ut unicuique Jus Magistratus competeret, Quod

jus

jus in imperio Romano duplex obtinuisse à Papiniano traditur. Aliud est merum, quo vitæ ac necis potestas, aliáque criminum gravior coërcitio executioni mandabatur. Supremam hanc Imperii vim (lege latâ) Patres (abdicatis Regibus) sibi arrogabant. Aliud Mixtum, cui Jurisdictio semper adhæret, cujus officium est *jubere judicare, in integrum restituere, &c.* Hanc potestatem Prætores Urbani *more Majorum* nacti sunt: eandem etiam Proconsules (exceptâ Judicum datione) in provinciis administrandis obtinuerunt; nisi quod horum potestas per Senatusconsultum (lege etiam Corneliâ interpositâ) concessa fuerit. Quin & Magistratus Municipales & Ædiles jurisdictionem, sed Simplicem, & omni imperio prorsus denudatam vendicabant: penes quos restabat per verbera, aut vincula (quæ sunt publica corruptelæ remedia) in fontes modicè animadvertere; sed dare

Judicem

Judicem illis non licuit. Judicandi enim munus inter Magistratus λειτουργίας censebatur, quas Suidas δημοσίας ὑπηρεσίας, i. e. publica munera vocat: & omne publicum munus, præsertim si sit personale, in quo sensu judiciarium, teste Arcadio Charisio, habetur, quandam secum trahit necessitatem, ita ut invitis imponi soleat. Ulpianus disertis verbis tradidit, *Qui non habet excusationem etiam invitus judicare cogitur*: nec immerito; Aliqui enim ab hoc munere vacationem petebant, uti Flavius Archippus apud Plinium, qui sub obtentu Philosophiæ *judicandi necessitate* liberari postulabat. Ejusdem farinæ homines Antoninus pius apud Modestinum postmodum vetuit, μήτε χρίνειν, μήτε πρεσβεύειν, μήτε εἰς στρατείαν καλεῖσθαι ἄκοντας, μήτε εἰς ἄλλην ὑπηρεσίαν ἐθνικὴν, ἢ τινα ἄλλην ἀναγκάζεσθαι. Ca-

v. Heraldi anim. ad jus. &c. p. 380.

Salmas. observ. ad jus &c. 391.

l. muner. 18. par. 14. De mun. pon.

l. pen par. 2. De vaca. & Exec. muner.

Epist. xvi. ad Trajanum.

l. 6 par. 8. De Excus. muner.

ta

teri jussu Consulis, Prætoris, &c. quandóque vi coacti judiciarium munus subibant.

VI. Exactis regibus regia potestas ad Consules translata, qui, quia in fastigio dignitatum collocati erant, summi à priscis Græcis nominabantur, unde Ovid l. 4. Ponto Eleg. 2. Cic. 3. de leg. Cassiod. l. 2. Var. ep. 2. Dionys. l. 4.

— Nullum Martia summo
Altius imperiū Consule Roma vidit.

Obiter monendum est, loco Consulis Prætoris nomen (voce ab ordinibus Etruriæ translatitiâ) à Bruti ætate usque ad Decemviros obtinuisse, si Zonaræ fides adhibeatur. Imò anno ipso, quo leges Decemvirales in Tabb. fuerunt redactæ, non *Consulem*, *sed Prætorem appellari mos fuit.* Inde est quod scriptum legimus in 12. Tabb. apud Plinium, *Impubem Prætoris* (i. e. Consulis) *arbitratu verberare.* Quare Consularis dignitas Prætoris nomenclaturam (Festo & Justiniano

niano testibus) ab initio suscepit, cui statim successit illa Judicis appellatio, à præcipuo quo Consul functus est judicandi munere, cujus exemplum suggerunt prisci commentarii apud Varronem.

5. de Ling. Lat.

Omnes Quirites visite huc ad Judices.

Postea tamen Consul negotiorum mole oppressus pangendo fœdera, coercendo, animadvertendo, Judicibus delegatis, seu πανδικασταῖς, lites civium disceptandas remisit. Quare tunc primùm nomē Consulis illo altero Antiquato invaluisse dicitur. Quæ vox an à consulendo vel judicando, ortum capiat, in dubio hæret Quintilianus: *Num & hoc consulere veteres vocavere, unde remanet illud, Rogat boni consulas hoc est, Judices.* Judicia enim omnia quæ ad potestatem regiam prius spectabant, ad Consularem modo sunt translata. Attamen cum usu compertum esset Consules, externis bellis implicitos, ex urbe, ita ut

l. 1. c. 9.

nem

nemo esset qui jus diceret, evocari, cœperunt patres Anno V. C. CCCLXXXVIII. Consilia agitare de creando Magistratu, qui judiciario muneri penitus incumberet. Hunc novum honorem Patricii ordinis viri, in locum erepti consulatus, multo ambitu quæsivere. Prætor unus initio creatus, cognomento *Urbanus Honoratus*, ad quem respexisse videtur Ovidius, (*habet.* l. 1. *Verbaq; honoratus libra Prætor* Fast. Cujus *Edicta* ab Imperatore *Honoraria* passim vocantur. Præter *Urbanum*, alius etiam extitit dictus *Peregrinus* qui controversias inter Cives & Peregrinos decidebat. Hisce adjuncti sex: duo anno V. C. IↃXX. Sicilia & Sardinia in provinciarum formam redactis. Duo alii anno V. C. IↃLVII. Hispanis devictis. Duo alii à Sylla Dictatore additi. C. Cæsar octo creavit, quibus Claudius etiam binos adjecit, qui propriè jus dicerent

cerent de Fidei commissis. Ita in universum XVIII. Prætores facti. At flaccescente paulatim imperii, Valentinianus & Marcianus lege caverunt, ne Prætores numerum ternarium excederent. Ex quibus XVIII. duo soli (Urbanus, & Peregrinus) res civiles tractabant, reliqui omnes criminales; Ita tamen ut singulis certæ essent quæstiones, una plurèsve. Quando hujusmodi quæstiones à Senatu constitutæ fuerunt, omnes Prætores annui Magistratus sui in urbe hærebant; cùm ante annum DCV. in provincias ibant, statim ac renunciati erant, quas sors assignarat. Quando primùm Senatus decrevit Proconsules mandare ad provincias reipublicæ administrandas, Prætores illis, tanquam Comites & Assessores in juredicundo, adjunxerunt. Eodem munere Præsides fungebantur in provinciis, quas Cæsares sibi reservârunt, gubernandis.

l. 2. d. De orig. juris Ulp. in Instit. & tit. 22.

nandis. Quibus omnibus creandi Judices potestas ex vi jurisdictionis, vel propriæ, vel à Proconsule legatis quibusdam demandaræ, concessa est. in Aug. c. 47. l. 1. Fast.

VII. A Prætore itaque, quem judiciis reddundis unicè vacare diximus, Judices ut plurimum hac formulâ (teste Valerio Probo) petebant, PRÆTOR JUDICEM ARBITRUMVE POSTULO UT DES. Annuente illo, & *totum Judicum Album* (Græcis ἀδίκημα dicitur) percurrente, eorum nomina ordine recensebat, qui unoquoque tempore judicare debebant; ex sorte enim (teste Servio) dierum ordinem accipiebant. Huic etiam solenne erat, antequam Judices addixissent, exclamare SI ALIUM PROCAS, NIVE EUM PROCAS, i. e. possis; permittebatur enim tam Accusatori, quam Reo, ut ex illo numero rejicerēt quos putarent sibi aut iniquos, aut ex v. Plin. & Suet. Ascanius ad 3. Verrinam.

aliqua

aliqua re incommodos fore. Tum litigantes hâc formulâ coram Prætore utebantur, HUNC NOLO TIMIDUS EST. ET BONA SECULI PARUM INTELLIGIT. ILLUM NOLO QUIA CÆSAREM AMAT. Rejectione itaque celebratâ, in eorum locum qui rejecti fuerant subsortiebatur *Prætor* alios, quibus ille Judicum legitimus numerus compleretur: his perfectis jurabant in leges Judices, ut obstricti religione judicarent; & agendi formulas, certis cantellis præscriptas, ejus manu accipientes coram Tribunali considebant. Iste mos dandorum Judicum usq; ad ætatem Diocletiani & Maximiani obtinuit, qui postea Juliani ætate non solùm in Italia sed etiam in provinciis in desuetudinem abire cœpit.

VIII. Proconsules, Præsides & Rectores provinciarum de rebus gravioribus ipsi cognoscebant, quæ eorum officium & cognitionem de-

siderabant

siderabant: in causis tamen privatis & minoris momenti Judices (Inquit Paulus) dabant. Porrò Legati, qui jurisdictionē à Proconsule demandatam acceperunt, habent jus dandi Judices; jurisdictionem in alterū transferre non possunt, cùm solùm exercitiū alienæ jurisdictionis ipsis fuerit commissum. Quin & Cæsaris Procurator, quandocunq; partibus Præsidis fungebatur, Judices creandi potestatem jure optimo sibi arrogabat: hujus farinæ fuisse Pontium Pilatum Cujacius & Lipsius in animum induxerunt.

IX. Ex dictis cum Ulpiano colligere fas est, quòd *qui neque Jurisdictioni præest, neque à Principe potestate aliquâ præditus est, neq; ab eo qui jus dandorum Judicum habet datus est, nec ex Cōpromisso sumptus, vel ex lege aliqua confirmatus est, Judex esse non potest*. Quâ lege tres hominum ordines à Judicum datione prohibentur. 1. Privati. 2. Judices dati. 3. Magistratus Municipales. Licet enim priva-

ti omnes consentiant, cùm Juris-
l. 3. C. de Juris. omn. Jud. dictione destituantur, ut
refertur in Rescripto Dio-
cletiani & Maximiani, ordinarium
Judicem creare non possunt. Actor
& Reus *arbitrio boni viri*, vel alio
næjurisdictioni ex consensu se sub-
jicere possunt, non habenti conse-
re nequeunt; usque adeò Privati ex-
cluduntur, ut Magistratui non
l. 13. eum qui par. 1. de Jurisd. habeatur *jubere judicari*
eo die quo Privatus sit fu-
turus.

l. 5. C. de Judic. X. 2do. Judex Pedaneus
alium Judicem delega-
non potest ob defectum jurisdictio-
nis, *cùm ipse* (ut inquit Imperator
Gordianus) *Judiciario munere fun-
gatur*. Legis in principio Judex ap-
pellatur Magistratus. Indè est quod
infert *A Judice*, i. e. Magistratu,
*Judex delegatus Judicis dandi po-
testatem non habet*; quum sit mu-
nus publicum, quo defungi debet
is cui impositum est, non vicari-
am alterius operam supponere. Sa-

Ju-

ma-

masius suo more contendit mendam in textum irrepsisse & pro *Judiciario* legi vult *fiduciario*. Suæ conjecturæ fundum ponit *Cæsaris verba*, ubi de legato Imperatoris agens " fiduciariam ei o-" peram tribuit, seu fidu-" ciarium imperium, non " merum, nec plenum, sed " obnoxium, & propterea " quale accepit, non potest ipse alii " dare: eodem modo & Judex de-" legatus ab alio Judice summo, fi-" duciario munere Judicandi frui-" tur, nec ille potest alteri mandare. At Criticus miserè hallucinatur; Lex enim non agit de delegata Jurisdictione, sed de Judice delegato, qui alium dare non potest: quicunque fiduciariâ Jurisdictione præditus est, licèt eandem alteri mandare non possit, jure tamen Magistratus, cujus vice jam fungitur, Judices litigantibus dare solet;

Obser. ad jus Attic. & Rom. p. 391, 392.

lib. 11. de Bello civili.

v. Heraldi Animad. &c. p. 381.

l. ult. D. de Off. ejus cui mand. est Jurisd.

l. 5. more Major. D. de Jurisd.

solet; at qui judiciario munere tantùm gaudet, notionem cognoscendi (omni jurisdictione prorsus denudatus) exercet, quam ad alium (cùm juris nihil habeat in se proprium, sed Prætoris *beneficio*, ut loquitur Julianus) transferre non potest.

l. 5. de Jurisd.

XI. Nec Judices tantùm ordinarii, sed Magistratus aliqui, ut Provinciales & Municipales, &c. Judicum datione abstinuerunt. Imo Proconsules Legatis suis Judicandi potestatem unà cum mandata jurisdictione transmittere nequeunt: quia non nacti sunt *privium quoddam jus more majorum* uti Prætores Urbani; sed potestatem illis solâ lege concessam obtinuerunt. *Eam quæ ex lege habemus non mandamus; quæ jure non habemus, quòd simus Magistratus ea rectè mandamus.* Municipales verò Magistratus licèt omnia Majoris *Imperii* munera non exerceant, jurisdictionem saltem *simplicem* sibi vendicant

vendicant. Nam incarcerandi, pignora capiendi, mulctæ dicendæ jus ex vi Magistratus usurpabant. Quin & supplicium fustibus & flagellis de servis (de liberis nullum) sumere solebant; ita tamen ut castigatio modica fieret. Nam si gravi & atroci verberatione (quæ ad *Merum Imperium*, seu μίκτον ἀρχὴν spectat) servum occidissent, quasi Magistratus lege Aquilia tenerentur. Hæc sola licentia Magistratui Municipali (ne inanis eorum jurisdictio videretur) jure competebat. Cætera verò *Mixti Imperii* officia, *ut jubere possidere, jubere judicare, bonorum dare possessionem, in integrum restituere*, ad Municipalem nullo modo pertinebant: hæc enim sunt majoris potestatis munera, quæ ad imperium magis accedant, quam jurisdictionem; Magistratûs autē vis ex utrisque est conflata; at jurisdictionem (uti prædiximus) *Simplicem* &

Zonaras in Basilio Porphyrog. v. Cuja. in Tit. Dig. de Jurisd. p. 166. Riterh. c. VI. par. 30. p. 518.

absque omni imperio Municipales, Ædiles, Duumviri sibi tantùm arrogabant.

XII. Ultimò notandum est, horum Judicum usum (ut hisce Pedaneis tandem valedicam) statim post tempora Diocletiani extinctum esse; quorum loco Zeno Imperator singulis foris urbis Constantinopolitanæ certos Judices (quos Justinianus δικαστὰς appellitat) substituit: horum alii fore Præfecti urbis, alii cæteris prout causarum cognitio postulabat, præfuerunt. At Justinianus duodecim legum peritissimos in Judicum numero constituit; qui modò huic, modò alteri Tribunali, prout occasio tulit, assidebant.

l. ult. c. de Pedan. Jud.

Novella XXXII.

v. Heraldi Animad. ad Jus Atticum &c. p. 377.

DE IIS QUI A NATURA ET LEGE JUDICES ESSE PROHIBENTUR.

CAP. *Conspectus.*

Paragr. I. *Quanta sit humanæ mentis caligo in abditis rerum causis perscrutandis? Tria hominum genera in foro consistere prohibentur, quorum alii â* Naturâ, *alii* Lege, alii Moribus.

II. *Mustelæ partus est Auriti Judicis Symbolum. In quem finem foramen* Ἀκουστικὸν *in Magnatum aulis elaboratur? Surdaster ineptus habetur, tum verba Solennia proferre, tum Responsiones amœbæas (quæ in foro crebrò jactantur) retorquere.*

III. *Iis quibus natura aures occlusit testandi potestas beneficio Principis concedi nequit. Milites* exauctorari *solent statim ac Surdastri facti.*

IV. *Surdus inhabilis à lege pronunciatur ad ſtipulationes aliósque contractus incundos. Ineptus & ἀσύμφωνος congreſſus inter Surdaſtros ab Epigrammatiſta jocoſè deſcribitur.*

V. *Interrogandi munus expedire per Tabellas res eſt fallax & plena ambagibus. Sola viva vox* Cauſſarum *(ut dici Solet)* Cubilia *penetrat.*

VI. *In iis Contractibus, in quibus ſermone opus eſt, Mutus intervenire non poteſt. Leges tacitum muti conſenſum pro reſponſo interpretantur. Turcæ cum mutis familiariter converſantur.*

VII. *Furioſus abſentis loco habetur. Furor, cùm ſit aliquid facti, non tollit ea quæ ſunt Juris.* Querquera febris *quid ſit apud Lucilium?* Intervallata *febris Judicandi neceſſitatem remittit.*

VIII. *Octodecim annos nati Judices ab Auguſto cooptati ſunt.*

Varii

Varii termini pubertatis assignantur. Minor *suo nomine non habet legitimam personam standi in Judicio.*

IX. *Ratio, quare soli impuberes à judicio excluduntur.*

X. *Concilium Areopagiticum noctu celebratum. Nocturna Judicia prohibentur in lege* 12 *Tabb. Utroque lumine orbatus Judex dari potest, si præstantia animi adsit.*

IX. *Senatorii ordinis dignitas, & quantum ab Equestri differt. Pedarii Senatores quinam? Senatorum numerus Augusti ætate. Censorum nimia licentia lege Claudiâ coercebatur.*

XII. *Senatores è Senatu movebantur, lege Cassiâ, Præteritione, vel Censoriâ virgulâ notati. Præteritio à Censore facta ignominiæ loco ducebatur.*

XIII. *Censoribus mos inolevit, equum, annulum aureum, aliáque insignia à Senatu-motis de-*

trahere.

XIV. *Virgulâ Censoriâ notatos ad omnes dignitates promoveri leges patiuntur, præter Judiciarias.* Ἐκκυλοφορηθέντες *inter Atticos tribunal conscendere fuerunt admissi.*

Cap. III.

CUm humanæ mentis acies etiam in minimis cæcutiat, quis in morali hominis fabricâ altum sapere tentabit? ubi non satis est hominem delineare, nisi Dei Imaginem, vicariámque ejus in terris potestatem certis cancellis circumscribamus, nisi Judicem *à priori* absque omni naturæ maculâ ex solâ integritate consummatum designemus. Difficile est in apricum proferre, totum illud quod legitimus Judex in Arca pectoris recondere debeat: satis erit, si vitia (quibus natura humana obnoxia redditur) ab ista persona removeamus, quæ tam sacro Judicis munere defungi mereatur.

Jurisconsultus

Jurisconsultus tria hominũ genera à Tribunali deturbat: Quosdam Naturæ vitio, seu connato, seu morbo contracto, quales sunt *Surdi*, *muti*, *caci*, *perpetuò furiosi*; Quosdam lege, uti *Senatu moti*, & *Infamiæ notâ injusti*; Quosdam moribus, uti *servi* & *fœminæ*. Hosce singulos in quæstionem vocatos (cùm inter Juristas nacti sint Patronos) ordine quodam recensere decrevimus. Sit itaque prima disquisitio,

Quæst. I.

An Surdi Possint Esse Judices? *N.*

II. Quod spurius ille Aristeas de mirifico mustelæ partu literis mandavit, de Judice nobis dicendum est: de eo enim (detracto illo Ægyptiaco involucro) fabula narratur, quam Surdo non canam, sed Aurito; cujus officium est, Διὰ τῶν ὠτῶν συλλαμβάνειν τὴν διάνοιαν ἢ τὸ σῶμα *Auribus concipere, ore autem parere fœtum suum.*

Joseph. p. 45. Ed. Opetini. Ovid. l. 9 Met. fab. 6.

Arist. l. 3. de Gen. Animal. c. 6.

Uti vis plastica Embryonem in utero efformat, ita litigantium voces similiter fœtum in Judicis aure creare solent. Judex enim in nullo organo magis gloriatur, quàm illo Asinino; cujus aures loco conspicuo collocatæ omnium querelis patere, & circumstantium susurros quasi per transennas captare debeant. Me vidisse memini in palatio Imperatoris Ottomanici meatum quendam Ἀκροατὴν, qui secretò ducebat in aulam, quam Divan vocitant; indè ille ex interiori conclavi quasi ex insidiis (auribus foramini admotis) Judiciarium processum, nec non mussitantium voculas facilè capiebat. Eundem auditorium ductum in Judice semper apertum postulo: nam ad rerum ordinem plenâ inquisitione discutiendum, quot *sponsionibus*, *vadimonits*, *interrogationibus*, *responsionibus*, *stipulationibus*, in lite præsertim *vindiciarum*, opus sit, ipsæ Judiciariæ formulæ testantur. Quales sunt; *Quan-*

do in jure te conſpicio, poſtulo an fias auctor. Quando aio, neque nego. Quando negas, te Sacramento Quinquagenario provoco: & hujuſmodi alia verba ſolennia; Jam quàm inepti videntur Surdaſtri omnibus hiſce muniis ſimul obeundis, tum ipſa juris communis ratio, tum rerum experientia nos docent: Cùm humiliora negotia peragere, (uti teſtamentum condere, Sacramentum militiæ ingredi, & ſtipulationes inire) legibus prohibeantur.

III. Quibus naturalis calamitas aures occluſit, iiſdem etiam loquendi facultatem abſtulit; ita ut neque ſupremam voluntatem literis conſignare, utpote omnium rudes, neque certis ſignis animi ſenſa aliis explicare valeant; & hiſce Calamitoſis teſtandi poteſtas, quam natura negavit, beneficio Principis concedi non poſſit. At militibus ex *Speciali privilegio* indultum eſt, ut, qui caſu aliquo p. accepto vulnere vel morbo

l. Diſcretis 10. c. qui Teſt. fac. l. 4. Ejuſd. Tit.

morbo superveniente audiendi facultate orbatus est, testamentum (præsertim si literas calleat) absq; omni juris solennitate condere valeat; modò istud *militare & veteranorum jus* ante *Caussariam Missionem* sibi arrogaret. Mos enim invaluit milites statim ac Surdastri facti, tanquam bello inutiles, exauctorari. ἄτοπον δὲ (inquit Theophilus) τὸν τοιούτους στρατεύεσθαι: cùm Sacramentum præstare, imperium Ducis aut signa audire, tesserámve accipere & reddere inhabiles videantur. Hanc testandi facultatem, quæ ex favore Principum primo concessa, Justinianus generali lege sanxit; ejúsque beneficium non solùm ad Milites, sed & Paganos, qui in prædictam calamitatem incíderent, extendit.

Cujac. in tit. de Excus. p. 669.

IV. Diximus stipulationes cum surdis non contrahi, cùm inter genera pactorum numerentur, quæ per *rogationem*

Iac. Goth. Com. in *Reg.* Juris. p. 530.

onem & sponsionem adimpleri solent: hisce enim opus est, ut alter interroget, alter verò respondeat, hâc ferè formulâ *Rogavit Titius, spopondit Mævius.* Jam si surdus ad privatum contractum ineundum inhabilis à lege pronuncietur, quantò minus aptus videtur jurgia fori cõponere, & Causidicorum *—netas audire & reddere voces.* Finge, si placet, Patronos utrosque surdastros, coram surdo Judice causam agere, quantas isti tragœdias risu propinandas in foro concitarent, quàm inepta & ἀσύστατα in invicem jactarent, colligere licet ex veteri Epigrammate Nicearchi.

l. Jurisgen. 7. §. 59. quod ierc. 12. de pactis v. Cujac. ad L. CXXIV. de muto &c.

l. 3. & 12. tit. de Interr. in Jure faciendis.

Δυσκώφῳ δύσκωφος ἐκείνετο, ἡ πολὺ μᾶλλον
Ἦν ὁ κριτὴς τότων ἀμφοτέρων δύο κωφότερος.
Ὡς ὁ μὲν ἀντέλεγεν τὸ ἐοίκιον αὐτὸν ὀφείλειν
Μηνῶν πὶθ'· ὁ δ' ἔφη νύκτας ἀλαλαξάμενος.
Ἐμβλέψας δ' αὐτοῖς ὁ κριτὴς, λέγ' ἔφη, πὰ χθὲς
Μήτηρ ἐσ' ὑμῖν, ἀμφότεροι πρίαστε.

Latinè

Latinè sic reddimus,

Accusans surdus surdo sub Judice surdum
Debita pro domibus postulat æra dari,
Quæ sibi debebat dudum numerâsse: sed illi
Respondit noctem se meminisse Reus.
Aspicit hos Judex: quid sic pugnatis utriq; ait
Mater, (ait) jussis ambo nutrite meis.

V. At dicas surdum, per literas seu Tabellas interrogandi munus expedire, sententiámq; ex *Pariculo* seu ἰσοπτρῳ recitare posse. Ex *Tabellis*, fateor, aliquid expiscari poterit, si eximia animi sagacitas cum pectoris fœcunditate sit conjuncta; si non, in re tam fallaci & ambagibus plenâ in errorem facilè incidimus. Nam rerum circumstantias trutinando, testèsque ad examen revocãdo, quot minutulæ lites, quasi ex insidiis exurgunt? quot legum decipulæ á Patronis struuntur, quæ in Tabulas redigi, aut redactæ intelligi vix poterunt? Sola viva vox litigantium Judicis animum percellit, eúmque causæ æquitate

inficit:

inficit: uti Medici ex signis Diagnosticis de morbis augurium captant, ita Judices ex vultu & loquelâ dicentis (unde ejus constantia vel trepidatio elucescit) rimantur veritatis latebras, ipsáque *rerum cubilia* penetrant.

Quæstio II.

An Mutus Possit Esse Judex? *N.*

Cum negotia humana in duplici genere collocentur; genus unum λόγου περιποιητικὸν petit, in cujus interventu *Solennia verba* voce nuncupari & linguâ exprimi oportet. Alterum eorum, ubi non voce, sed sola præsentiâ opus est, ut corporis, ita & animi & intellectûs. Jam negotia, in quibus gerendis sermone opus est, à muto præstari nequeunt, in quorum censu reponuntur [a] *Stipulationes inire*, [b] *Arbitrari*, *Judex* [c] *dari*, *Auctoritatem* [d] *pu-*

v. Com. Goth. ad Reg. Juris P. 530.

a. l. 7. Inst. de Inut. stipul. b. l. 9. par. 1. de Rec. Arb. c. l. cum Prætor 1. par. 2. Tit. de Judi. d. l. 3. Tit. de Auctoritate Tut.

pillo

c. l. 10. de manum. vind. f. l. 51. §. vlt. de adqui. hæred.

pillo præstare; *Item vindictâ* [c] *manumittere*, & *Hæreditatem* [f] *cernere*, quia hujusmodi transactiones sine verborum solennitate peragere nefas ducitur. Accedit magis in muto Judice, quòd sententiâ *ex scriptis* vivâ voce (quæ est muneris Judiciarii pars non minima) in foro recitare non possit.

VII. Muti tamen admittuntur κατ' ἀναλογίαν τόπου, ad alia Juris munia obeunda; uti *testamentum condere*, *pro Hærede se gerere*, *matrimonium contrahere*, *Procuratorem dare*, *emere*, *locare*, *vendere*, *conducere*, & *similia*. Ad contractus hujus generis perficiendos sola animi & corporis præsentia (ut inquit Paulus) requiritur; præsertim, si mutus (auditus capax) interrogationibus nutu vel manûs gesticulatione respondere conetur: leges enim tacitum hunc consen-

Cujac. de Diversis regulis Juris p. 1846.

Rhiter. Part: 9. c. 6. par. 25.

l. 16. ad Edictum. Gothofredus loco laudato l. 1. c. 3.

sum

sum(gnaris ipsius negotii quod geritur) responsum interpretantur; *Signa* etiam ad voluntatem & animi sensa exprimenda sufficere Jurisconsulti uno ore profitentur. *Quippe nutus* (teste Quintiliano) *declarant nostram voluntatem, & in mutis pro sermone sunt.* Hujusce farinæ servulis Turcæ (qui morum gravitate cæteris mortalibus anteire solent) nimium sibi perplacent. Illi enim familiares cum *mutis* congressus certo quodam corporis gestu instituunt, quorum mandata per nutus tantùm transmissa servi è vestigio exequuntur. Accidit (dum diversarer Constantinopoli) Nobiles quosdam Venetos belli infortunio captos coram Imperatore Ibrahimo sisti, in quos Imperator fidem renunciare renuentes sententiam mortis *extensâ manu* tulit; quo *signo dato* Janisarii, qui è satellitio fuerunt, stantes è vestigio gladiis detruncârunt.

Quæstio

Quæstio III.

An Perpetuò Furiosi Loco Iudicis Haberi Possint?

VIII. Julianus expressè pronunciat, *Furiosum per omnia, & in omnibus Absentis loco haberi.* Quia nudi corporis præsentia, quando animi judicium abest, non sufficit ut *actu ratus* habeatur; proinde qui mente captus est, & voluntate caret, ab omni judicandi officio prorsus removetur. Qui *lucida* tamen habet *Intervalla*, Judicis officio fungi potest per tempus remittentis furoris, (judicium enim est sanæ mentis effectus) eodem jure quo *testamentum facere, contractus inire*, aliáque munia subire. *Quærit Jurisconsultus, An furor superveniens, qui judicandi facultatem adimat, non tollat etiam officium judicandi, licet ab initio rectè datum sit, cum sanæ mentis esset?* Resp: In officio semper permanere, præsertim si ulla spes ad sanam mentem redeundi affulgeat: Quia cum furor sit aliquid

aliquid *Facti*, non tollit ea, quæ sunt *Juris*. Status hominis, qualis est libertas, ingenuitas, dominium rerum, patria potestas, Magistratus, dignitas, & potestas, per furorem supervenientem non amittuntur, neque sponsalia, aut matrimonium dirimitur; neque Testamentum ante furorem rectè factum, denique nullum negotium ritè constitutum furore rescinditur. At si valetudo diutius incumbat, ita ut nulla spes ad sanam mentem redeundi effulgeat, talis Judex mutari possit: si quis *morbo fontico sit correptus*, qualis est *quartana* (vel ut Lucilii verbis utar *querquera*) febris, licet non sit *jugis*, sed *Intervallata*, judicandi necessitatem (sæpè enim invitis defertur) remittit.

Quæstio IV.

An Impubères Judices Esse Prohibeantur A Natura?

IX Tam sanctum fuit Judicis nomen inter Veteres Romanos, ut

ut non nisi iis qui ex *Equestri ordine* in numerum Judicum cooptari permitteretur; neque ullus ante Augusti tempora, nisi *tricesimum quintum* ætatis annum adimplevisset, ad Tribunal admittebatur. At gliscentibus adhuc civilibus odiis Augustus hanc gratiam suis retulit, ut vicesimo anno, non tricesimo, (Sic Suetonium legi monuit Casaubonus) Judices evaderent; legemque tulit, quam *Juliam* vocant, ut octodecim annos nati in Judices cooptarentur, quasi tot annis plenam pubertatem attigissent: indè evenit, ut Justiniani sanctionibus soli impuberes à publicis negotiis removeantur, quasi Personæ sani consilii prorsus expertes, & doli haud capaces. At quinam in impuberum censu haberi vellent Romani, & quoúsque pubertatis terminus extendebatur, inter se non convenit Doctoribus, Lexque ipsa inconstanter loquitur: huic igitur difficultati ut occurramus,

mus, par est ut tres pupillaris ætatis partes vobis designemus. Est *Infans*, est *Infanti proximus*, est *proximus pubertati*. *Infans* in Jure definitur, qui minor est septem annis, qui ia in Jure fandi impos existimatur; Proximus infantiæ dicitur ἐπτάετης Septuennis, qui septennium nuper superaverit (teste Macrobio.) Hujus terminus cum in Jure non satis definitur, alii 12. alii 13. faciunt, aliique ad 14. extendunt. Accursius totam intercapedinem in duas partes divisit. Pupillum proximum infantiæ eum haberi, qui septem annis major, adhuc intra 10. & ½ consistat. Qui excessit est proximus pubertati. Hinc Accursii auctoritate subnixi colligunt Doctores, Juvenes qui 14 annum transiluerunt, jussu Principis, vel si partes consentiant, Arbitros vel Judices esse posse; cogi tamen non posse ante vicesimum quintum annum, licet jus Canonicum aliter statuat. Quare soli impuberes

impuberes excluduntur, qui κωφοὶ καὶ μωρῶν παραπλήσιοι, uti verbis Demosthenis utar, in quem Ulpianus sic commentatur: τὸ κωφοὺς καὶ μωροὺς παραπλησίους εἶναι φησὶν ὡς ὑφ' ἡμῶν ἔχθρας λαβεῖν παρέχειν ἀδύνατον ἢ ἀδικίας ὁ τοιοῦτον ἄγων τὴν ἀλυσιτελῆ.

A ratione alienum est, ut cui æta & consilium non est satis constans sit aliis Judex: nam quem legem abstinere ab omnibus civilibus negotiis jubent, à publico munere, quale est judicium, abstineat oportet. Minor enim cùm suo nomine non habeat legitimam personam standi in judicio, multo minus præesse vel judicium regere queat. Cautum est à Romanis, ne quis ex alterius auctoritate pendeat, sed ex animi sui sententiâ judicium profe-rat, uti habetur in formulis Brissonii. Si minor *litem suam faciat* imperitè judicando, judicium redde-tur eluforium; si contra sententiam à se latam ex imperitiâ, in integrum restituatur. Quæritur an sententia à Judice XXV. annis minore data valeat.

valeat. Resp. Æquissimum esse tueri sententiam ab eo dictam, nisi minor sit XVIII. vel Magistratus personam induens jus dixerit.

Ex eodem naturæ vitio quinta quæstio emergit. Scil.

Quæstio V.

An Cæcus Possit Esse Judex?

X. Cæcus quamvis vtroque lumine orbatus, Judex dari & esse possit, neque ob cæcitatem à judicando vel arceatur ab initio, vel removeatur ex postfacto; morum probitatem, eruditionem, consilii ac mentis integritatem, magis quàm oculorum sensum attendi oportet. Præstantia enim animi visûs defectum supplere solet: nam oculus Intellectus magis acuitur quando corporeus visus hebescit. Celeberrimum apud Athenienses Areopagitarum Judicium noctu & in tenebris habebatur, ne oculis interdiu usi varias perturbationes per istas quasi fenestras in animos intromitterent, quibus motibus transversi

ab

ab æquitatis tramite & juris rapa
rentur. Jure tamen Romano judi
cia nocturna prohibentur: in leg
enim 12. Tabb. in Judiciis, *Solis oc
casus suprema tempestas esse dicebo
tur*. Frustra objiciunt alii, quòd
cæcus neque in testibus examinan
dis, neque in agrorum limitibus, ve
in luminum servitute, vel in senten
tia ex Pariculo recitanda, habili
videatur; cùm per *Assessorem*, se
vicariam potestatem, omnia expedi
ri possint.

Quæst. II.

An Senatv-moti Pos
sint Esse Judices?

XI Spectabilem fuisse inter Ro
manos Senatorii ordinis
dignitatem omnes uno ore
fatentur, quippe quæ tum
vestis genere *aureis clavis
variegato*, (hos *Laticlavios
Senatores Suetonius vocitat.*) tum
calceis lunatis ab Equestri distingue
batur. Quin & jus publicè epulan
di, & in Orchestrâ ludos & mune
obti

Johan. Antioch. Malala. *MSS.* p. 8. Janus Gu. liel. De mag. pop. p. 323.

ra Ædilitia separatim à plebeis & Equitibus spectandi an. V. C. DLX. obtinuerunt: quotquot Magistratus antea gesserant, in *Sella Curuli* tum jus dicebant, tum in Senatum vehebantur. Cæteri (quales erant, qui in senatum nondum allecti *sententiæ* tamen, teste Varrone, *jus* habebant) in Curiam non solùm itavere pedibus, sed etiam in sententias transiere, quæ à Rutilio Mimographo *Pedariæ* dicuntur. Van chop. tract. de Ver. pop. Rom. 445. Agell. l. 3. c. 18

Caput sine lingua pedaria sententia est.

Senatus-consultum enim à Senatoribus, ut plurimùm condebatur (teste Vopisco) aut *pedibus in partes transeundo*, aut *verbis consentiendo*, *aut porrigendo manus*. Eundem morem χειροτονίας usu invaluisse inter Athenienses fertur. Ex dictis constat Senatoriam dignitatem in omni penè seculo inviolatam conservari: nam (ut Livius literis mandavit) viri Consulares, iique, qui Civicam Vopiscus in Aurelianum Imper.

coronam

coronam aut spolia ampla ab hoste reportârunt, in senatorum numerum fuerunt recepti. Reges Romani *ducentos Patres* summæ integritatis in consilio adhibuerunt: at (iis exactis) Consules & tribuni militum (studio partium & proterviæ plebis plus justo indulgentes) conjunctissimos quósque partim ex Equestri ordine, partim ex fæce plebis sine discrimine conscriptos in Senatum asciscunt. Sub Sullâ & Cæsare Dictatoribus, hoc malum magis ingravescere cœpit, quando Senatores eorum *Mancipia togata* evaserunt: illi enim firmandi imperii gratiâ libertinos & servos in Senatorum numerum cooptârunt, adeò ut Augusti ætate ultra mille Senatores (quorum pars præcipua contumelioso Abortivorum nomine veniebat) recensentur. Hunc ille Senatorum numerum (cæteris dimissis ac excusatis) ad modum pristinum redegit. Atinius Tribunus plebis, ut huic malo occurreret,

ret, plebiscitum tulit, ut Censores quibus electio sorte obvenerat, ex omni ordine optimum quémque in Senatum eligerent: illis enim in more positum erat (lustro quolibet recurrente) Senatorum nomina recitare, & ex eis prætermittere, quoscùnq; lubitũ est, quam prætereundi licentiam Appius Claudius lege latâ posteà coercuit.

XII. Inhonestum imò turpe videtur ex tanto honoris & Auctoritatis fastigio in infima subsellia detrudi; quod tribus tantùm modis apud Romanos fieri solitum. I. *Lege Cassiâ.* II. *Præteritione.* III. *Censoriâ virgulâ.* I. Anno v.c. dc liii. Mario & Flacco Coss. Cassius Tribunus Plebis cavit, ut quem populus doli, & repetundarum accusatũ damnâsset, cuive imperiũ abrogâsset, ne in Senatu esset, imò maximâ turpitudinis notâ inustus è Senatu moveretur; ita ut publica munera obire, præsertim judiciaria, illi nefas haberetur. II. Si quis olim

à Censoribus, non ob crimen aliquod emotus, sed silentio præteritus in opprobrio haud erat: at (Republicâ indies in pejus inclinante) in crimen adducebatur à Censore, quamvis injusto, *præteriri*; *Præteriti* enim *Senatores* juxta ac loco moti habiti sunt *ignominiosi*. III. Quem Censor ob vitæ dedecus & morum pravitatem Censoriâ virgulâ nota verat, non solùm à judicandi munere, sed à testimonio dicendo in posterum arcebatur.

XIII. Si Senator Prætoris edicto *sordium* factus esset reus, i. e. Si muneribus corruptus venales proferret sententias, aut notissimâ turpitudinis maculâ inureretur; non tam Senatu motus, quàm publicâ quâdam infamiâ notatus, & ab omni officio remotus habebatur: ut si quis Eques Romanus facinus *sui ordine* indignum patrâsset, Censores *Publicum*, quem nutriebat *equum*, *annulum aureum*, *aliaq; Equestria insignia non sine contumelia diripiebant*,

diripiebant, ipsiúsque nomen obeliſco transfixum in *Cenſorum libro* conſcribebant. Tanta aliquando fimultas & æmulatio inter Cenſores (quales fuere Claudius Nero,& Livius Salinator) naſcebatur, ut unus alteri equum adimeret; ſed abſque ulla infamiæ nota: Ambo enim tanquam firmiſſima Romani Imperii ſuſtentacula belli Punici molem ſuſtinuerunt. Pari paſſu, quando nimium affluebat (uti prædiximus) Senatorum numerus, Auguſtus quamplures, non dicam è *Senatu emotos*, quàm *excuſatos* habuit: illis tamen *jus ſpectandi in Orcheſtra, Trabeam geſtandi, publicè epulandi, & honores petendi* concedebatur, ut Dion,& Suetonius memoriæ prodiderunt.

Cujac. l. 27. ad Tit. de Excuſ. p. 654.

Dion. l. 54. Suet. in Aug.

XIV. Uſque adeò ſancta & incorrupta judicia inter Romanos ſunt habita, ut qui ullâ infamiæ labe erant tacti, à Tribunali removerentur; ad alias tamen dignitates,

(si ad meliorem frugem sese recepissent) aspirare poterant. Ut qui Censoriâ virgulâ semel notatus est, ad eandem nihilominus dignitatem promoveri leges patiuntur. At munus subire judiciarium (ut testatur Marcellus) Senatu-motis non permittebatur; *Cassius Longinus non putat ei permittendum, qui propter turpitudinem* Senatu-motus, *nec restitutus est, judicare, vel testimonium dicere: quia Lex Julia repetundarum hoc fieri vetat.* Ex verbis Marcelli colligere cuivis obvium est, illos, qui non sunt integræ famæ non solùm à Judicandi munere, sed testimonio dicendo penitùs arceri. Porrò si quis *turpitudinis* & *sordium* reus manifestò peractus sit, Arbitri officium in se susscipere Romanæ leges vetant; Atticæ tamen (ut hoc obiter moneam) Senatu-motos in Judices cooptari permittunt. In hunc finem

v. Muretum in Orat. de Officio Judicis.

D. leg. 2. de Senat.

l. 9. par. Sunt & alii. D. de Rec. Arbitr.

loquitur

loquitur Lex illa, quæ in Græcorum Commentariis passim decantatur, Ἐξεῖναι τὸν τοῦ δικαστοῦ καταδικάζειν τοὺς ἐκπυλλοφορηθέντας *In Judices allegere eos, qui Senatu moti sunt fas esto.* Talis enim emotio inter Athenienses nullâ ignominiæ notâ τοὺς ἐκπυλλοφορηθέντας inurebat. Hactenus de iis, qui Lege prohibentur esse Judices. Jam ventilandæ veniunt quæstiones de fœminis & servis, quos sola consuetudo & mores gentium ex foro extruserunt. Petit. Com. in Leges Att. p 306.

De Judice:
An
Servi possint
Esse Judices

Cap. Consp.

Paragr. I. *Alii humili loco nati ad summa imperia aspirârunt, alii ad serviendum nati ex mente Aristotelis. Multæ gentes præanimi imbecillitate se in aliorum servitium tradiderunt. Servitus* κατὰ συγκρασιν *naturæ juri consona videtur.*

II. *Multitudo Mendicorum est Reipublicæ pestis. Quis primò Xenodochia & Nosocomia instituit in Romano Imperio. Jupiter à servis abstulit dimidium mentis. Coguntur sub aliorum Tutelâ reponi, ut habeant undè vivant.*

III. *Magna ingenia belli calamitate fracta in servitutem dilabuntur. Servorum multitudo ingentes motus in republicâ sæpe peperit, aliquando regna funditùs evertit.*

evertit. Servitutis æquitas tum ex Jure Gentium, tum ex ratione aßeritur contra Bodinum.

IV. Servi pœnæ inter Ebræos quinam? Ob furtum ad servitutem damnati rei ablatæ pretium præstare tenebantur. Multi inter Ebræos ob summam rei familiaris inopiã se sub corona vendiderunt.

V. In quantum servitus Romana à Judaica differt? Ebræi victûs causâ alterius servitio se subdiderunt. Romani ob æs Alienum ad carcerem mandati. Patriciorum domus erant Addictorum carceres. Mos addicendi Debitores inter Atticos. Immanis fœneratorum potestas in obæratos ex lege 12. Tabb. asseritur. Solon inter Atticos, & Lex Julia inter Romanos miseris Debitoribus succurrebant.

VI. Ebræi ex jure Originario mites erga servos se præbuerunt. Status servorum inter Ebræos. Calceamenti solutio infimum servitii

genus à Rabbinis censetur. Inde vata est loquendi formula, qui usus est Ioannes Baptista erga Salvatorem. Στιγμὴ χρόνου Athenienſium ſervorum diſciplinam ſolutam dedit.

VII. Deploranda ſervorum conditio apud Romanos. Æquiſſimi Principes ſummam iſtam Dominorum ſævitiam legibus latis coercuerunt. Unde Aſyli jus originem duxerit?

VIII. Jure Romano ſervus ἄψυχον, & in Pecudum cenſu exiſtimatur. Non datur actio inter Dominum & ſervum. Citatio & Teſtimonii dictio ſervo denegantur.

IX. Servi ab omnibus officiis tam publicis quàm privatis arcebantur. Soli Quirites vel Cives Romani in Tabulis ſignandis teſtes adhibentur. Latini, Coloniani, Juniani in Mancipationibus teſtimonium dicere ſolebant. Ad ſolennitatem Divortii ſeptem Cives Romani requiruntur. Ab iis officiis,

officiis, in quibus certus testium numerus à lege præscribitur, servi penitùs excluduntur.

Cap. IV.

SUnt alii (uti Servius Tullius ex Corniculana captiva genitus) qui ex paupere lare, & servis natalitiis orti, ingenio tamen & virtute præstantes ad summa imperia aspirarunt. Inde Plutarchus Pelopidam prudentiâ verè regiâ præditum Imperatorem naturâ fuisse prædicat. Quin & Themistocles (ut suspicionem suæ ad Persas defectionis dilueret) disertis verbis asseverat, *se ad imperandum Persis potiùs natũ quàm ad serviendum.* Sunt alii hominum stipites vel fungi, quos natura ad aratrum vel metalla damnavit; hos quasi sui impotentes Romanæ le-

Liv. l. 4.

Plut. in Pelopid. v. Gell. l. 2. c. 18. Macrob. l. 1. c. 18.

Plut. in Themist.

Pet. Com. in leg. Att. p. 176.

ges sub prudentûm Tutelâ semper collocârunt, in quos patroni δεσποτικὴν ἀρχὴν, ipsissimum exercent regimen (teste Aristotele) quod anima in corpus. Indè à Latinis Jurisconsultis *corpora* dicuntur, à Græcis σώματα, à quibus servi infra sortem humanam reponuntur. Aristoteles verò illos in pecudum numero habet. ὅτι μὲν οὖν (inquit ille) ἀνθρωπος ποσαχῶς λεγεται, ὅτι ψυχὴ σώματος, καὶ ἀνθρωπου θεία, ἀρχαι δεσποτικὴν ἀρχήν. ὅσων δ' ὄντων ἔργον, ἡ τοῦ σώματος χρῆσις, καὶ τοῦτ' ἔστι ἀπ' αὐτῶν βέλτιστον, ὅτοι μὲν εἰσι φύσει δοῦλοι, οἷς βέλτιόν ἐστιν ἀρχεσθαι τύπτεσθαι τὸν ἀρχήν. Imò consultius videtur illos, qui propriâ prudentiâ se nutrire nesciunt, perpetuas operas prudentioribus locare. Hisce ferè pactis, I. ut alimenta, aliáque vitæ necessaria perpetuò suppeditent. II. ut non liceat trucidare aut ἀλοφύλοις sub corona vendere. Quibus legibus Mariandyni apud Athenæum Heracleotarum

Arnis. c. 11. p. 119.

l. 1. Pol. c. 4. l. 2. par. 2. ad l. Aqui.

Athæn. 6. p. 263.

cleotarum jugo colla subdiderunt; item Penestæ Thessalis, Helôtes Lacedæmoniis, & innumeri alii ἀποδύσαντες ἰυπνὸν (auctore Dione) ἐλεύθεροι ὄντες, ὥστε δ' ἐλεύθερον καὶ συγγραφὴν, *se in servitutem dant, ut ex contractûs formula serviant.* Quod genus servitutis καὶ συγγραφὴν nihil habet in se durum, neque naturalis Juris terminos ullo modo transgreditur: nam perpetua ista obligatio compensatur quotidianâ alimentorum certitudine; absque quâ necesse esset (propriæ enim necessitati prospicere inepti videntur) ut fame perirent, vel stipem ostiatim emendicando, ne fame necarentur, magnam molestiam Reipublicæ crearent.

Dion. Prusæ Orat. XV.

Grotius de jure &c. p. 145.

II. Hujus rei luculentum Constantini ætate Testimonium exhibetur, quando Paulinus Nolæ Episcopus, aliique Pontifices summo studio de servis manumittendis certârunt. Tanta inde multitudo mendicorum

Arnis. loco laud. p. 113.

dicorum passim grassabatur, ut Principes, ad regiones tantâ peste levandas coacti fuerint Xenodochia & Nosocomia ubique extruere. Cui malo Valens ut occurreret edictum tulit, ut qui victum *ostiatim* quæreret, in servitutem retraheretur. Nam absque tali *Oeconomicâ subjectione* benè ordinatæ reipublicæ compages solutas iri compertum est. Ecquis jam eum idoneum reputet populo jura reddere, vel fori versutias venari, cui natura proprium jus tuendi beneficium negavit; à quo Jupiter dimidium animæ, quæ corpori pro sale data est, abstulit? Juxta illud ab Homero decantatum,

Bod. 1. de Rep. c. 5.

Ἥμισυ γάρ τε νόου ἀπαμείρεται εὐρύοπα Ζεὺς
Ἀνδρῶν, ὃς κεν δὴ κὴν δόλιον ἦμαρ ἔληισι.

Altisonus mentis privavit Jupiter omnes
Dimidio, quotquot fatum servire coegit.

Quin & mores Gentium servulos non solùm ob mentis tarditatem, sed etiam lubricam fidem à Judiciario

ario munere repulerunt, ὑβ ὑμῶν ἐδὲν ψυχῆς δύλης, ἑ δὲ ὑβ ἐδὲν ὑμῶν πρεύειν αὐτῆς ἐ νῦν χαμαιῶν Ipsi etiam suis viribus diffisi ab hoc sponte abstinuerunt, & in prudentum ministeria sese dederunt; ut Tyrii olim servi in Stratonis potestatem ultrò concesserunt, auctore Possidonio Attico in libro undecimo Historiarum. Hanc servilis ingenii imbecillitatem vetus Comicus graphicè delineavit,

Athenæus l. 6. p. 265. Artiscus l. 4. p. 113. Just. l. 16. Apud Athen. loco laud.

Πολλοὶ φεύγοντες δεσπότας, ἱκὸ ἔθεσι Grotius de Jure. & c. l. 2. c. 5. p. 146.
Ὅτις πάλιν ζητοῦσι ἐ αὐτὴν φάτνην.

Qui se fugitivi gesserunt pro liberis
Multi recurrunt pristina ad præsepia.

III. Hactenus de iis quos sub perpetuâ prudentûm custodiâ natura esse jubet: alios liberos edit, quorum ingenia viros imperio dignos spondent, infausto tamen sydere afflati, vel belli aleâ infelices, in servitutis calamitates incîdunt; ubi tanquam Leones in caveis inclusi,

cluſi, feræve caſſibus implicitæ ferociunt, ſibique vel Dominis mortem intentant. Excelſus enim animus compedum auguſtias pati neſcit, ſed ſe in libertatem (effractis ergaſtulis) quâlibet occaſione arreptâ aſſerit. Quot hinc motus Chiorum ſervuli concitarunt, ut Mameluci Ægyptiacum imperium, Tatarique Scythicum funditùs everterunt, Hiſtoriæ paſſim teſtantur. Indè eſt, quod Bodinus ſervitutem tanquam Reipublicæ peſtem improbat, quam præter *æquum* & *bonum*, contra *jura naturæ & gentium* introduci pronunciat. At pace tanti viri dixerim. I. Deum ipſum non ſolùm populo ſuo, ſed Cananæis, Perſis, Græcis, Romanis, ſervitutis jugum tanquam criminum pœnam inpoſuiſſe. Quin & omni penè recurrente ſeculo à gentibus luxuriæ & otio deditis pœnas Barbarorum irruptione exegit. II. Natura ex *primo*

Bod. l. de Rep. c. 5.
Juſt. l. 18. Herod. l. 3.

mo decreto hominum in pace viventium libertatem tuetur: sin verò quis noxam commiserit, vel in statũ belli eruperit, huic servitutem in pœnam vel minus malum (ut cædes à victi collo avertat) ex 2°. decreto intendit. III. Cyrus apud Xenophontem quasi Jus universale tradit, νόμῳ δὲ ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀϊδίως ἔστι, ὅταν πολεμίων πόλις ἁλῷ, τῶν ἑλόντων εἶναι, καὶ τὰ σώματα τῶν ἐν τῇ πόλει, καὶ τὰ χρήματα, *ut urbe in bello captâ, victori cedant omnia, quæ in illa sunt, tum corpora tum pecuniæ.* Fas enim & æquum postulant, (quod omnium penè gentium consensu sancitur) ut ejus jugulum gladio petam, qui me priùs in discrimen vitæ adduxerit; at cui licet Jure interficere, eidem licet, quod minus est, sc. in servitutem abducere, IV. Maximè expedit Reipublicæ *Servos pœnæ* in suo sinu semper nutrire, partim ut sint, qui ad Metalla & Triremes, aliáque

Alber. Genti. l. 3. c. 9.

l. 7. Κυρ. παιδ.

Plato. 1. de Leg. Aristot. 1. Polit. c. 4.

que humiliora negotia expedienda se exerceant; partim ut Respublica in furti aliorumque criminum peractos reos servitute potiùs quàm morte (cum sit mitior pœna) animadavertat.

l. capita. D. de pœnis. l. 8. §. 4. D. eod. Exod. 22. 3.

IV. Hunc morem inter Fbræos invaluisse ex sacris literis comperSeld. De Jure &c. l. 6. c. 7. p. 705. tum habemns, ubi furti reus, אם אין לו *Si Solvendo non erat*, *Actori* (modò esset Ebræus) ad servitutem ex fori sententiâ addicebatur, usque dum ejus ministerium rei ablatæ pretium adæquare æstimaretur.

Maimo. Hala. Ganiba. c. 3.

Non opus erat (ut hoc obiter moneam) duplum, quadruplum &c. (Quod Lex de furto aliàs præscripsit) ex servitute præstari. Neque Addictio solùm ob furtum in republicâ Judaicâ obtinuit, sed & ob summam rei familiaris inopiam; quando quis paupertate coactus personam suam venum exponeret,

Levit. 25. 36.

ret, ut ejus pretio vitam Sustenta-
ret אין ארם רשאי למכור את עצמו
עד שלא ישאר לו כלום ואפילו
כסות לא תשאר ואחר כך ימכור
את עצמו *Non fas est cuiquam seipsum vendere quamdiu quicquam omnino, etiam vestis, ei superfuerit: sed postea potestas ei est vendere seipsum.* Quæ venditio non ex publicâ sententiâ fori perficitur אלא בצנע וררך כבוד *sed occultè,* (Patrio more) *ut dignitas venditi conservaretur.* Exod. 21. 2.

V. Eundem se mancipandi morem inter Atticos & Romanos invaluisse, & ex Ebræo fonte ebullisse constat; hoc tantùm interest, quòd hi obærati in Creditorum *nexum* se sponte tradiderunt; illi pro solo victu libertates commutarunt. Cautũ enim est Ebræo jure ne quis seipsum vendat, *Ut creditori debitum solvat, sed duntaxat, ut habeat, quod comedat.* At ex prisco Jure Romanorum Creditor sibi obæratum, indictâ Ulp. l. 6. §. 5. D. de injusto rapto. Maimo. Hal. Abadim. c. 1.

dictâ causâ, domum abducebat
Hinc sibi timuit Terentianus Phor-
mio, cùm nihil haberet, ne *duceretur damnatus domum*;

v. Herald. Animad. l. 4. c. 5. p. 295.

Plautus in Asinaria, *Judicatum me uxor abducit domum*.

Hìc mirari satis nequeo Roma-
nam ingratitudinem erga fortissi-
mum Imperatorem Cor-

Val. Max. l. 4. c. 1.

nelium Scipionem, qui
cum *Judicatæ pecuniæ satis dare* non posset, *jussu* Consulum Patricii domo tanquam in Tulliano continebatur: quo seculo singulæ Patriciorum domus (teste Livio) erant Addictorum Carceres. Hunc Addicendi morem, partim ex columnis Areopagiticis (in quibus Draconis leges erant incisæ) partim ex lapideis tabulis (quæ à Solone Ἄξονες passim vocantur) descriptum Legislatores Romani excoluerunt. Antiquissimâ enim Athenienſium lege Τὸ φειλόντων σώματα ἐχώμια fuisse

Herald. Animad. l. 4. c. 4.

Siceliota memoriæ prodidit; ob æs alienum fœneratoribus

ratoribus Addicti vendi posse, & quidèm peregre exportari, docet nos Plutarchus in Solone; ἐχέλαμβάνοντες ἐπὶ τῆς σώμασι ἀμύκμοι τοῖς δανείζειν ἦσαν, ἢ δ' ἐπὶ τὰξένη πωλεπιδώμοι. Hinc & lege 12. Tabb. (quæ ex Jure Attico translata videtur) licuit Creditori Debitorem sibi per sexaginta dies in vinculis addictum venundare, occidere, & in partes secare cùm pluribus creditoribus ex æquo esset Addictus. Agellius, *Tertiis autem Nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregrè venum ibant.* Solon ut pauperum necessitati prospiceret, & sævitiam hanc τῶ δανειστῶν emolliret, novas Tabulas (in quibus instituit τὸν τῶ χρεῶν ἀποκοπὴν σεισάχθειαν ὀνομάσας) induxit, et lege vetuit, ne fœneratoribus in posterum jus in corpora esset, χρεώλας τὰ μὴ ὑπάρχοντα τῶ χρεῶν ὠνεῖσθ, σώμα δὲ τὸ λοιπὸν ἐπὶ σώμασι μηδένα δανείζειν. Eandem truculentam

Salm. Obiterv. ad Jus. p. 312. 313. &c.

A. Gellius. l. 20. c. 1.

Plutar. in Solone Liv. l. 2. &. 8.

tam Addicendi potestatem Cre- toribus Romanis seditio vilior plebis sæpiùs eripuit; quæ post Petilii rogatione (hanc gratiam plebe captabat) penitus abroga- siquis infortunio gravi ad inopia- esset redactus, Lex Julia lum tùm à cruciatu co- poris, tùm à vinculis ex- mebat.

l. 4. c. qui bon. ced. post. Nov. 35. in prin.

VI. Ex dictis colligere fas est, quo modos servitutē subeūdi jus, partim gentiū, partim Civile, inter Ebræos, Græcos, et Romanos stabiliv Videndum jam restat, quomod inter illas gentes servi tractari, quo dignitatis gradu consistere s lebant, seu an eorum conditio ad Judiciarium munus apud Romano promoveri unquam permissa sit. Divina monita Ebræos in servo

Hotin. Juris Hebraici lege 42. p. 55.

בני רחמים *misericordes*, benignósq; reddiderunt, quos, nisi fuerant ex Cananæo genere orti, בפרך *cum duritia* rarò tractârunt: Qui enim sævit in ser-

vum

rum ſuum ex *eorum placitis* præceptum affirmativū transgredi dicitur. Tantum tamen abfuit, ut Judicis officio aliáve dignitate perpetuò mancipatos ornarent, ut nullo penè pretio haberentur. 1°. עבר אין לו יחס *Servo non erat agnationis ius.* 11°, Nihil ſuo jure poſſidebat, שכל מה שקונה עבר קנה רבו *Quicquid enim acquirit ſervus, acquiritur Domino.* 111°. Sacris intereſſe (utpote eorum jure ἀπρωσώπως facti, auctore Maimonide) penitùs interdicuntur. 1v. Lex Ebræorum forenſis omnino ſtatuit, ut teſtes eſſent 1° בני ברית *Confœderati*, (quo nomine ſolos Iſraelitas venire liquet) Gemara צריכה למעוטי גוים *hoc opus ad excludendum Gentiles.* 2°. בני הורים *nativi, illuſtres* (indè forſan vox ἥρως *nata*) ad excludendum עבדים *Servos*, à quibus dignitatem, morum gravi-

Lev. 25. 43. Seld. de Jure &c. l. V1. c. V11. p. 705.

Talm. Hal. Kidduſh. Maim. Abad. c. 1. par. 4.

l. 79. de acqu. Hæred.

Maim. Ha. Melowa. &c. c. 2.

Baba Cama. c. 1. §. 4. Gemara ad locum.

gravitatem abesse volunt; quin
Dig. l. 22. tit. 5. l. 7. conditiones in testimonio d
cendo tum Ebrææ tum Ro
næ leges postulant. V. Se
vi ex Venditoris pacto
nebantur servilia opera D
minis præstare, in quib
Hal. Abdim. c. 8. Seld. ll. xor Ebraica. l. 1. c. 14. calceamenti solutio infimu
servitii genus à Rabbinis ce
setur והיה מנעל לרבו או
הנעילו *ut solvat Domino calceamentum suum, aut illud indu*
Marc. 1. 7. Luc. 3. 16. Joan. 1. 27. Quâ formula Joannes Bapt
sta usus est ad dignitatem S
vatoris summam, & suam h
militatem deprædicandã, qu
si officia discipulis indigna (q
servilia omnia לכל שחורת לו
Gem. Bab. l. ad tit. Ceth. c. 11. fol. 96. מנעל *præter solutionem calc*
ejus Præceptori præstabant
se qui faceret indignum pro
fiteretur. Indè patet servorum
turbam inter Ebræos vilis
mam existimari. Inter Att
Petit. Commen. in Jus. tit. VI. p. 176. cos verò ante Solonis (ut dixi
mus) ætatem *jus vitæ & nec*

in servos dabatur. At postquam ξενικαὶ χλαῖναι in plebis gratiam introducta invaluit, servorum disciplina aliquanto solutior Athenis habita; ad honores tamen τῶν ὅπλων, quorum Cives Attici tantùm erant capaces, nunquam evehebantur. VI. Quandocunque necessitas servi testimonio uti coëgit, veritas coram certis Arbitris (in publico enim judicio sistere se servi non audebant) per tormenta exquirebatur, (hoc tamen pacto, ut qui illum in quæstionem postulabat æstimationem servi, si causa caderet, daturum sponderet) ejusq; ἐξέλεγξις (hâc voce Grammatici Græci quæstionem exprimunt) fidei ergò palàm obsignabatur. Huc adducenda sunt Aristophanis verba in Ranis,

v. Thes. 4. De Orig. Serv. p. 4.

v. Demost. ἐν τῷ πρὸς Τιμόθεον.

...κἄστι πατάξαι γέ σοι
τὰ παῖδε τὰ τῶν, τ' ἀργυρίου σοι κείσεται.

Idem ἐν τῷ πρὸς Παντα-ίνετον.

i. e. Si membra servi mutilata, ossâve

ossáve inter torquendum dimi-
nuta apparerent, ejus pretium
Postulator *Domino* numera-
tenebatur. Hinc palàm videtur
quàm indignè servos tracta-
runt Attici, cùm ad testimo-
nium tantùm dicendum esset
vocati; quorum verbis nullam
fidem adhibuerunt, nisi qua
flagellorum plagæ & equuleo
exprimere compulerunt: quare
omnes pœnarum machinas in
quæstionem postulatis, ut ab
iis veritatem extorquerent, ad-
moverunt. Juxta quod Xan-
thias apud Comicum omnes
quæstionis modos facetè ad-
modum recenset,

πάντα δ' ἅπαν, ἐκ κλίμακο

Aristoph. Batra. Actus 2. Scena 6. p. 241.

Δῆτας, κρεμάσας, ὑστριχίδι μαστιγῶν, λίνῳ
Στρεβλῶν, ἐπί τε τὰς ῥῖνας ὄξος ἐγχέων,
Πλίνθους ἐπιδεῖς, πάντα τἄλλα.

Omni modo, Scala
Alliga, suspende, loris perdom
Cæde, rape, torque, naribu
accetu

v. Scholia Arist. ad locum laudat.

actum ingere,
Lateres admove, & omnia tenta.

VII. Deploranda videtur servorũ conditio apud Romanos; quineq; juris beneficio ullo uti, neq; injuriâ affici potuerint. Indè est qd Domini servos pecudum more, partìm ex libidine, partìm ex iraſcẽdi proclivitate, mactabant. Quâ crudelis extitit Vedii Pollionis ſententia, quâ ſervus ob vitrum Chryſtallinum fractum ad piſcinam murænarum damnatus eſt? Quid iniquius, quàm ut omnes ſervi, innocentes juxta ac nocentes, ſi Dominum contingeret necari, ad ſupplicium raperentur? Quando Pædianus urbis Præfectus à ſervo cæſus eſt, 400 ad minus, qui ſub eodẽ tecto manſitaverant, Patrum ſententia ad ſupplicium *vetere more* decernebantur. Hanc Dominorum ſævitiam æqui Principes, poſtea coercuerunt, partim Aſyla, ad

par. Serv. 3. Inſt. de Injuriis. Seneca de Irâ c. 4.

Tacit. Annal. l. 14. p. 331.

quæ innocentes confugiant, excitando; partim legibus latis (quales circumferuntur L. Aquilia, L. Cornelia de Sicar. L. Petronia) Dominos mitiores fore coegerunt: quin & D. Pius servos duriùs, quàm æquum fuerat, tractatos Dominorum potestati omninò subtraxit.

l. 2. &. 3. D. ad L. Aquil. l. 11. par. 1. D. ad L. Cornel.

l. Si domi. 2. D. de his qui sui Juris &c.

VIII. Licet Principum benignitas servos à supplicio, & Dominorum sævitiâ liberârit; servi tamen conditio ab omnibus *officiis* tàm *Civilibus* quàm *publicis*, p. Magistratu, Tutelâ, Arbitrio, Judicandi munere omninò summota est. In Jure enim tam Prætorio, quàm Civili, quandoque Servi in pecudum [a] censu, quandoque pro mortuis, [b] ἀπρόσωποι semper reputantur; quia non habent legitimam personam standi in Judiciis. Ex. c. Si alienus servus *noxam* commiserit,

a l. 2. §. 2. ad l. Aqu. b l. 59. in fin. de Cond. et Demonst. l. 20. §. Servus D. qui Testam. l. 7. D. de fastis. Gotho. in Reg. Juris p. 454.

m ſerit, *noxalis actio* contra Dominum intentatur: Judicium enim Civile inter Civem Romanum & ſervum (ſive ſit alienus ſive proprius) conſiſtere nequit. *Lis enim nulla (niſi forſan, ut inquit Gaius, ex caſtrenſi peculio) cum iis quos in poteſtate habemus, intercedit.* Accedit ultrà, quod neque ſervus vocari, neque ſequi in Jus, neque obtorto collo abduci poſſit, & ſi quis ſic abductum vi eximat non teneatur edicto, *Nequis eum &c.* quin & olim Teſtimonii dictio ſervo homini coram Judice inhibebatur, juxta quod Terentius in Phormione aſſerit, Actu 2. Scena 1. *Servum hominem cauſam orare leges non ſinunt: Neq; teſtimonii dictio eſt.* i.e. pro ſe, vel aliis poſtulare; Imò illis *anteſtari* non licuit, teſte Plauto in Curculione.

l. 2. 3. 4. in prin. l. 23. d. de in Jus vocat. Gaius l. 1. ad edictum provinciale. l. 6. 7. Cod de Jud. l. 4. D. de Judiciis. v. Gaium l. laud. de Actionum impetratione. l. ult. Cod. de noxal. act. l. 3. in pr. Tit. Nequis eum qui in Jus vocab. vi exim. Petit. Com. in Leg. Attic. p. 352. Grot. Fl. Sp. ad Jus Juſtin. p. 115. Ariſt. l. 4. ad Nicom.

IX. Neque muneribus tan-

tùm publicis, judicandi, postulandi, testimonium dicendi, sed privatis etiam officiis servus excludebatur; in eo præsertim officiorum genere, ubi actus cum solennitate quâdam, Græcis ἐντίμια nominata, celebratur. Quando amici, liberti, clientes certatim confluunt, ut eorum interventu officia peragantur; inter quæ censentur, Tabulas signare, Nuptias celebrare, cæteráque officia obire περὶ τὰς τῶν νέμων ἐντιμίας καὶ τὰς ἐλευθερίας, in quibus transigendis liberas personas intervenire leges postulant. Ut à Testamentis ordinandis exordiar. Ibi Testator Tabulas tenens ita dicebat, *Hæc uti his Tabulis cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor: itaque vos* Quirites (substituit Isidorus, *Cives Romani*) *testimonium præbitote*. Quæ nuncupatio & testatio vocabatur. Ad eandem testandi

Arist. l. 4. ad Nicom.

Goth. Cō. ad R. J. 175.

v. Basil. auctor. ad hunc reg.

Ulpianus tit. 20. De Testam.

Isid. Orig. l. 5. l. 2.

testandi formulam Apuleius allusisse videtur, *Vos in hanc rem boni* QVIRITES *testimonium perhibetote*. Quare non nisi Cives Romani vel Quirites (exclusis servis) tabulas signare rogabantur, juxta illud Ovidii, 4. de Ponto. 15.

Confiteor, testere licet, SIGNATE QUIRITES,
Nil opus est LEGUM *viribus, ipse loquor.*

Iidem testes sc. Romani Cives in Nuptiis contrahendis adhibebantur, testationésque fine Servorum interventu fiebant. Similiter quinque testes, quos Gajus cum libripende in mancipationibus intercedere desideravit, debuerunt esse Cives Romani, vel Latini, sive Juniani sive Coloniani essent; in utrisq; enim mancipatio locum obtinuit. Paulus nos docet ad legẽ Juliã de divortiis (ubi certa solennitas præscribitur) liberas

Ulpian. tit. 20. de Testam. Idem tit. de Dominiis.

ras personas adhiberi oportuisse. *Nullum* (inquit) *divortium ratum est, nisi septem Civibus Romanis puberibus adhibitis, præter libertum ejus qui divortium facit*. Proclive est alia exempla ponere, tum in *Denunciationibus* ex Senatus consulto Claudiano, tum in *hereditatis cretione*: quibus officiis præstandis, licet magnus testium numerus à lege præscribitur, Servi tamen omnes, quasi de Jure Communi inhabiles, disertim excluduntur; aliter Actus illegitimus & nullus haberetur. Ut huic quæstioni Coronidem tandem imponamus. Si servi à Testimonio dicendo, tam in privatis officiis quàm in publicis; si à negotiis, quæ *contractus pariunt*, si denique à Tutelâ, & Arbitrio removeantur; quanto magis à Judiciario munere & Tribunali deturbari mereantur?

l. 2 Cod. Theod. ad Senat. Claud.

AN

AN FOEMINÆ GENTIUM MORIBUS POSSINT ESSE JUDICES.

CAP. Consp.

I. *Versatilis natura mulieris ad vivum depingitur. Hæc mores mutat, novasq; subinduit formas, uti chamæleon colores. Jus tum Civile tum Gentium muliebri impotentiæ succurrit.*

II. *Ubi veniæ & misericordiæ locus dari possit, ibi fœminarum melior est conditio quàm marium. Jus armorum multa privilegia sequiori sexui concessit. Earum personas fuisse antiquis sanctas, & pro Victoris libidine non temerandas, aliquot exemplis evincitur. Jus Ebræorum, tam in bello quàm pace, fœminis maximè favebat.*

III. *Natura marem sibi designavit ex asse hæredem. Virilis corporis compages & ingenium velox, imperii infœminas marem capacẽ reddunt. Prærogativa marium in successione hæreditariâ, tam inter Ebræos quàm Romanos, asseritur. Salica lex unde nata? Cur fœminis in feudum militare succedere non liceat?*

IV. *Lex Sabiniana ab omnibus officiis, tum Civilibus tùm Publicis, fœminas semovebat. Alia sunt Reipublicæ munia, quæ privatâ Auctoritate nituntur; Alia quæ Publico quodam charactere sunt munita. Ab utrisque fœminæ Moribus Gentium excluduntur.*

V. *Matrona, quæ in Publicum hominum Conventum ventitat, gravitatem vel verecundiam suam violat. Colus & Fusus sunt muliebria*

Arma.

Arma. quæ dicuntur Officia Virilia apud Jureconsultos?

VI. *Matronæ Italicæ sub arctâ Custodiâ semper tenentur. Antiqui Romani apud Valerium ob causas leviculas uxores dimiserunt. Fœminæ Attico Jure Contractum inire (si Hordeacei modii pretium excedat) prohibentur. Illis Testimonium dicendi, aut in Calatis Comitiis arrogandi, Jus non Conceditur.*

VII. *Mulieribus non licet pro se vel aliis intervenire, postulare, aut in Senatu verba facere. Pœna eáque gravissima fœminis infligitur, quæ loqui audeant in Ecclesia.*

VIII. Γυναικοκρατία *in quæstionem vocatur. Boreales populi mulierum res gestas laudibus efferunt. Germani apud Tacitum fœminas in concilia adhibuerunt. Muliebre imperi-*

um magnos Motus in Republica concitare ſolet.

IX. *Deboræ Præfectura quaſi cœlitus demiſſa à Judæis approbatur. Romani Gynæcocratiam cane pejus & angue fugiebant. Fortitudo & Taciturnitas ſunt Politicæ gemmæ, quibus Corona Imperatoria adornatur. His virtutibus vitia fœminis inſita maximè repugnant. Subditi Reginas ſuas, quando belli mole laborant, vel in fortiſſimi ducis nuptias convolare, vel regnum penitus abdicare compulerunt.*

X. *Lex Ebræorum, ex Jethronis verbis conſuta, fœminam Judiciis reddundis ineptam reddit. Rabbinorum hâc ex parte Placita excutiuntur. Jus non tam Pontificium, quam Imperatorium, quod in Oriente ſimul ac Occidente viguit, illas à fo-*

ro abigit. Fœminæ juxta leges Hiſpanicas civilibus officiis fungi nequeunt.

Cap. V.

Cum homo ſit teſtaceum vas, quid aliud ſit fœmina quàm vitreum, vel potiusſpeculum, in quo humanæ naturæ fragilitas reſplendet? in cujus habitu fortunæ inconſtantiam & temeritatem veteres pinxere. Uti vagus ille & inconſtans humor, qui ſub pelluſtri Chamæleontis pelle permeans varios colores imbibit, reddítque,

Protinus aſſimilat tetigit quoſcunq; colores:

Ita fœmininum corpus, ex udo & molli luto confectum, varias formas facilè ſubinduit, & contrariis affectuum motibus per horas æſtuans, huc illuc diſtrahitur; Tacet, garrit,

rit, ridet, plorat, multoque plures fluxus & refluxus patitur, quàm Euripus olim. Ob hanc sequioris sexus impotentiam, tum mores omnium ferè gentium, tum leges fœminis succurrunt; ne juris ignaræ technis & sutelis fori ex improviso irretitæ innocentes cadant; subvenitur deceptis, ignoscitur lapsis, in pœnis parcitur; Lictori nefas habetur fœminam ex domo extractam in Jus ducere. Hisce privilegiis (quibus naturæ fœmininæ infirmitas relevatur) leges eas donârunt.

Cujac. in l. 32. Quæst. Papin. p. 702.

Gothof. ad Reg. Juris. p. 478. l. 1. C. de Offic. Judic.

II. Uti natura fœminas sub deteriore & fragili magis conditione posuit, quàm mares; ita Jus Gentium, (quasi deficientis naturæ supplementum) meliorem, (ubi veniæ et misericordiæ locus datur) reddidit. Licet Captivorum corpora, sine ullo sexus discrimine, Victorum

Victorum libidini *Jure Armorum* subjici solent; Muliebris tamen et imbellis turba — *stat rudis insciaq; ferri*: leges enim bellicæ (quas moratiores populi religiose excoluerunt) virgines intercipere, aut Captas prostituere pretiove redimere prohibuerunt. Generosam exaudio apud Curtium et Alexandro dignam vocem, *Cum captivis & fœminis gerere bellum non soleo, armatus sit oportet, quem oderim.* Indè Spartani ab Argis oppugnandis abstinuerunt, quia solæ fœminæ præsidia illic tenuerunt, quas lædere sine maximâ contumeliæ notâ non potuissent. Inde est quod Ælianus Sicyonios victores; eò quòd virginũ Pellenæarum pudicitiam prostituerant, acerrimis verbis increpat, ἀγριώτατα ταῦτα, ὦ θεοὶ ἑκάστιοι, καὶ οὐδὲ ἐν βαρβάροις γενόμενα, κατάγε τ' ἐμοῦ γνώμην *Crudelia hæc, per Deos Gratia,*

Senecæ. 4. Octav. Stat. Syl.

Ælianus. var. Histor. l. 6.

Græcia, & quantum memoriâ complector, ne ipsis quidem Barbaris probata. Quantâ animi castitate et Sanctimoniâ Marcellus, et *duo fulmina belli Scipiadæ* captas virgines tractârunt, Livius abunde testatur; quorum gloria fuit, *ne quid quod uspiam sanctum esset apud ipsos violaretur.* Indè populus Romanus Torquatum quendam in insulam Corsicam deportari jussit; eò quod virginem hostilem vitiaverat. Hisce continentiæ exemplo præivit Alexander Magnus, qui cum Roxane Captivâ, quam miserè deperibat, per libidinem abuti potuisset, ὐκ ὕβρισεν, ἀνὴρ ἔγημε φιλοσόφως *nullam illi vim intulit, sed in uxorem duxit, ut dignum philosopho.* Ad eundem captivas tractandi morem respexisse videtur Mosaïca lex, quæ virginis Gentilis concubitum (cum in prædam incide-

Livius l. 26.

Arrian. l. 4. p. 92.

Plutar. in Alex.

Deuter. 21. 20. v. Rabb apud Seld de Jure. p. 618. Joseph. Antiquit. l. 4. c. 8.

rat

cat) prohibuit; nisi Israelita prius facta esset, vel matrimonii vinculo cum Domino ritè jungeretur. Quare Jure Ebræorum omnino vetitum est pudicitiam Captivæ prostitui כדי לבייש את יצרו *ut placaretur militis libido*. Hæc et similia privilegia fœminæ ob sexus imbecillitatem præ maribus *jus Armorum* ultrò concessit: nec minore immunitate jus Civile, tam inter Ebræos quàm *Barbaros* Mogulenses (ut mittam jam Romanos) illas donavit; leges enim (de Ebræis jam loquor) ab iis muniis præstandis, quæ viris imposita censentur, fœminas exolvunt. Indè est quod Gemaristæ à præceptis aliquot illas liberari voluere כל מצות עשה שהזמן גרמא נשים פטורות *ab omnibus præceptis affirmativis, quæ à tempore dependent, liberæ sunt mulieres.* Pari passu Mogulenses

Gemarâ Berachoth c. 3. fol. 20. Halicoth Olam. pag. 109.

non

non tam à severa legum observantia liberârunt, sed ad summum dignitatis fastigium extulerunt, apud quos liberi è diversis uteris suscepti nobilitate maternæ stirpis decorabantur. Hujus moris perhumaniter sum admonitus à viro undiquâque doctissimo & literarum orientalium peritissimo Samuele Clerico, Academiæ nostræ Architypographo, qui ad Gregorium Abul-pharagium (cujus Editioni præest sedulus ἐφορώμενος) Mogulensium fœminarum prærogativam hanc inter alia multa adnotavit. Gregorius, وفي رسم المغول اعتبار ابنا الاب الواحد بالشرف انما يكون بالنسبة الي الامهات *In more est Mogulensibus, ut filiis ejusdem patris dignitas sit ratione generis materni.* Hic est ille Gregorius (ut hoc obiter moneam) quem

quem Abrahamus Ecchellensis Bar Hebræum nominat, seque *Publici* juris facturum fidem oppigneravit, necdum liberavit. Abulpharagius ille ex patre genitus erat Ebn Ahrun Medico Malatiensi, circa illa tempora quando Tatari Moguli Mesopotamiam Syriámq; devastârunt: Historiam exorsus est ab urbe condito, quã in decem Dynastias distributam perpetuo filo ad annum Hejræ 683 (quo floruit Argun Il-Chan) produxit, ut Cl. & eruditissimus Pocockius firmis rationibus demõstravit. Hujus [illegible] luculẽtis admodùm Notis locupletatũ idem olim in lucẽ edidit: at ab eo jam Gregorius ex integro ad incudem revocatus, & Latinâ civitate donatus sub prælo Oxonienſi desudat. Unde illum (qui ab Elmacino & Eutychio palmam facilè præripiat) propediem in publicum proditurum avidè expectamus.

Abrah. Eccell. ad Abdarr. de Virt. &c.

Poc. præfat. In spec. Hist. Arab

III. Licèt *utrumque Jus* muliebri

bri impotentiæ succurrat, masculinum tamen opus, tanquam dignissimum, omnia publica munera & summas dignitates capessere jubet; in hoc sequitur Naturæ ductum, quæ in marē, quasi esset naturæ hæres ex Asse, *universam sortem* profudit. Nam si in hoc masculino opere corporis compagem respicias; quàm latè patent humeri ad omnia onera fortiter sustinenda? Quanta laterum firmitas? Cujus præcordia ex meliori luto contemperata *omnia summa*, periculis licet obsessa, spirant. Huic tam robustæ fabricæ igneus quidam ingenii turbo imperat, quē innata sagacitas cum longo rerum usu attrita, judicium fixum & quasi quadratum efformat. Cujus sub patrocinio & perpetuâ Tutelâ fœminas natura collocavit. Neque enim solū naturæ jus, sed omnium gentium *scripta ratio* suadet, ut inferiori præstātior imperet, & indignus dignioris mandata exequatur.

Tiraq. l. 1. Connub. num. 55. Aristot. 1. Polit. c. 5

ἐμὲν οὐδὲ τὸ ἓν λυ, τὸ μὴ κρῆτον τὸ ϑ χεῖρον, ἡ τὸ μὴ ἄρχειν τὸ ϑ ἀρχόμενον. Eandem marium prærogativam jus Gentium, quod supra naturale astruitur, ubique asserit. Quandocunque gentes inter se fœdera jungunt, vel publica quædã commercia sive in bello, sive in pace contrahunt, nulla unquam fœminarũ habita est mentio; soli enim mares mutuis pactis, *quasi populus sit virorum*, sese vinciunt. Quin & Jus Civile in omni republicâ benè administratâ prolis masculæ prærogativam tuetur, quæ in successione hæreditariâ maximè conspicitur. Inter Ebræos (auctore Maimonide) filii filiabus, sororibus fratres præferuntur, & universim

הזכרים קודמים לנקבות בשקריבתם אצל המת שורה

Maim. in Exegesi ad Misn. tit. Baba Bathra.

Masculi præferuntur fœminis, ubi pari à defuncto gradu distant. Inde est quod in Misnâ legimus

האשה את בעלה ואחי האם מנחילין ולא נוחלין

Baba Bathra loc. cit.

Uxor ad maritum suum & fratres matris

matris hæreditatẽ transmittum sed non invicẽ succedunt. Quin in successione hæreditariâ muliebris sexus juxta leges Ebræorum nulla habebatur ratio; sive Hæreditas Testamẽto translata, sive ab intestato devoluta fuerat. Quin & eorum jure receptũ est ut defũcti servus ad filios, nõ ad filias fratrêsve transmitteretur. Maimonides אבל אם לא הניח בן זכר הרי זה יצא לחירות ואיני עבר לא את הבת ולא את האח ואין צריך לומר שאינו עובר שאר חיורשין *Cæterum si non reliquerit prolem masculam, servus ejusmodi pro manumisso habendus: neque enim servibit filiæ aut fratri, nedum hæredibus quibuscunque.* Nec inter Judæos tantùm mos ille inolevit, sed aliarum etiam gentium moribus receptum fuit, ut fœminæ à bonorum successione repellerentur. Testor Armenios

menios, inter quos virgines non ſolum hæreditatis potiundæ ſpe excidunt, ſed à familiâ, ſi nuptæ fuerint, penitùs ablegantur. Idem jus ab antiquiſſimis temporibus apud Romanos uſu veniebat, quod poſtea lege Voconiâ, Claudiâ, Leonis, aliorumque Imperatorum decretis ſanciebatur. Juſtinianus ſolus repertus eſt, qui *Egeriæ ſuæ*, i. e. Theodoræ uxori plus juſto indulgens, muliebrem Conditionem cum maribus æqualem fecit. Quam legem poſtea Juſtinianus abrogavit, & Jus Armeniorum inter ſubditos ſuos in integrum reſtituit. Exinde apud Germanos & Gallos cæteróſque Septentrionis populos manâſſe fertur. Ex hoc forſan Armenico Jure Salicæ Tabulæ (quæ circa ætatem Pharamundi Francorum regis editæ fuerunt) originem ducunt: Quarum autoritate

toritate Galli ſubnixi Anglo hæreditarium Jus in regnum Galliæ ſibi vendicantes excluſerunt. At quantam injuriam noſtris fecerunt ipſa Salicæ legis verba me tacente loquuntur, cujus Capita non de *Publico* regni *Jure*, ſed *privato* conſtituta videntur. Lex talia effatur: *De Terrâ Salicâ in mulierem nulla portio hæreditatis tranſit*, i. e. Filiæ in feudo ſuccedere non ſolent; ſive Feudum degeneret *in Francum*, quod nulla ſervitia debeat, ſive in Emphyteuticum, quod non ſit gratuitum. Licet feudum expreſſâ Domini voluntate *Titio & ejus liberis, generi*, & poſteris conceſſum fuerit, ad hujus tamen ſucceſſionem neque mares per fœmineam lineam deſcendentes unquam admittuntur. Tantum abeſt ut militare Feudum in fœminas tranſeat, ut ipſa Juramenti

ramenti formula à Vassallis præstita muliebri impotentiæ è diametro repugnet: per hanc enim Vassalli Dominis tum animi consilio tum armis succurrere jurejurando obstricti sunt. 1°. Quam inops mentis & Consilii expers sit fœmina, Poetæ per Palladem sapientiæ Symbolum detegunt; quam non ex utero prognatam, sed ex Jovis cerebro extractam fingunt, juxta illud Martiani,

Hanc de patre ferunt matris sine fœdere natam,
Provida consilia quòd nescit curia matrum.

Martian. in Hymno Pallad.

Fluxum enim est muliebre ingenium, quod alienis terminis facile retinetur, nunquam suis; Inde est quod Tograius, excellentissimus inter Arabes Poeta, fœmineos affectus intra metum & parsimoniam quasi duo repagula claudit:

Togr. vers.22. نسزان طیب احسان یش
الکرام بها
ما بالکزایم من جبن ومن
بخل ∴

Utiq; auxit suavitatem sermonum [virorũ] generosorũ de ea,
Quod est in generosis [feminis] metus & parsimonia.

Quem versum Alsephadius Scholiastes ita interpretatur,
فاتان الصفتان محمودتان
فی النسا مذمومتان فی الرجال
Ista duo (metusc. & parsimonia) *viris vitio quam maximè vertuntur, mulieribus in laudem cedunt*, quas non minus dedecet nimiam præ se ferre audaciam, quam viros timorem:

v. Doctiss. Pocockii Notas ad Tograi carmen. p. 106, & 107.

لانها لا تقل لها دفعها ما
تحاولها *quia non est illis intellectus, qui eas cohibeat ab eo quod illis allubescit.* Fluxæ isti mentis

mentis impotentiæ metus frænum injicit, quo amoto افرمتی : لی كل قبيح *Nullum est quod non patrabunt facinus.*

II. Cùm metus fœmineo pectori naturaliter imperet, muliebris sexus ad arma tractanda (quod Vassallis incumbit) inhabilis prorsus habetur; Proinde Boreales populi *feuda* (tanquam fortium virorum præmia) iis tantùm, qui demereri poterant concesserunt. Si Vassallus *Hæredibus* sub *generali nomine* feudum reliquerit, *mares* tantùm & non *fœminæ* à Jurisconsultis intelliguntur. Licet non sum inscius istam regulam *in Jure feudali Anglorum* multas pati exceptiones, quas vide apud Cragium. Loco laud. pag. 237.

IV. Quare prudenter egerunt Romani, qui, teste Ulpiano, *fœminas ab omnibus officiis, tam Civilibus quàm publicis, omnino removebant: & ideo nec Judices esse* Ulpian. l. 1. ad Sib num l. 2. Gothofred. ad Reg. Juris p. 23

possunt, nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere. Hæc Sabiniana lex ex duobus ministeriis, à quibus obeundis mulieres prohibentur, conflata videtur; quorum unum Civile, idque duplices actus (ambos tamen privatâ autoritate suffultos) implicat. I. Quando quis domesticæ curæ modum excedens sese cœtibus miscet, & luce hominum fruatur. II. Quando quis ὁ ἐκκλησία seu Comitiis se exercens in Civitatis conspectu negotia transigit. I. Postulando. II. Pro Alio Interveniendo. III. Procuratoris partes agendo. Sunt alia etiam *Officia publicâ autoritate* munita, quæ ὁ τῆ διοικήσει τῆς πόλεως seu in Reipublicæ tractatione (ut loquitur Seneca) versantur; qualia censentur illa, quando summi Magistratus *curam cum imperio* exercent, vel Judicis Pedanei partes agunt. Ab hisce omnibus muniis fœmi-

Plato l. 5. de Rebub. l. de Tranq. cap. 3.

nas

nas gentium moribus exclusas fuisse sigillatim demonstrabimus. Si ullam unquam *de Jure* potestatem fœmina sibi arrogaret; mariti *vicariam* dicas, et intra parietes proprii domicilii concluſam: juxta illud Platonis, ἀνδρὸς μὲν πόλιν οἰκοῦσαι γυναικὸς δὲ οἰκίαν. Non decet muliebrem mundum in publico hominum conventu se ostentare, ne *gravitas vel verecundia* matronæ lædatur; ne mollities corporis, vel venustas *Oris* aliquid ab injuriâ cœli patiatur. Ingenita quædam in liberos τοῦ γὸ maternum pectus semper impellit ad lactandum, blandiendum, quandoque etiam *virgarum Jus* exercendum: & si hisce *Bullis* tempus fallere nesciat, in manus sumat Penelopes telam,

Menn. p. 73.

Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
Impoſitam.

Virgil. 8. Æne. v. 401.

Nam colus & fusus γυναικεῖα μάθημα à Platone vocantur. Hujusmodi

di olim muliebria tela Enelthon Salaminis Princeps Pheretimæ reginæ remisit, quæ cum auxiliares copias pro filio restituendo petiisset, *fusum aureum & colum* penso circundatam loco exercitus dono accepit. Talia enim arma sequiori sexui magis conveniunt, quàm gladius & hasta. Indè est quod Hector apud Homerum uxorem increpat hisce verbis.

Alcib. 1. p. 126. in fin. Herod. l. 4.

Lib. 6. Iliad. v. 490.

Ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα, τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε,
Ἱστόν τ', ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισιν ἄνωγε
Ἔργον ἐπιστύνειν· πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει.

Quos versiculos variè imitati sunt Latini Poetæ, Ovidius ad nostrum propositum propius accedit.

Virg. 7. Æn. Ovid. 12. Met.

—columque,
Lycape cum calathis, & stamina pollice torque:
Bella relinque viris.

Quid

Quid enim ad bellum mulier? Vetus est verbum, μὴ μάχαιραν αἴρε θῆλυ. Nec ad militaria tantùm, sed ad omnia *officia* sustinenda, quæ à legibus *Virilia* dicuntur, fœminæ ineptæ pronuntiantur. Cùm Argentarii opera *virilis* ex lege existimetur, ab ea removeri fœminas censet Callistratus. Hinc Naumachus poeta Christianus mulierem hortatur lanis trahendis & domesticæ curæ omnino vacare.

l. 1. c. de Offic. divers. Judic.

l. 1. §. Sexum D. de postul. l. 18. c. de Procurat. l. pen. D. de Edendo. Stobæus Serm. 72.

Λῆν δὲ τὰ θήλεα, τὰ δ' ἄρσενα πολέμιζε,
Σοὶ δ' ὀπιθορήλιν μελέτω μεγαθύμοις ἀνδάσσιν.

VI. Apud moratiores populos (quales sunt Itali) matronæ in publicum rarò, at sine Custode aut mariti venia nunquam procedunt: qui mos ab Antiquissimâ Romanâ lege fluxisse videtur, in qua uxores (ut inquit Sulpitius Gallus apud Valerium)

l. 6. c. 3.

rium) ante ora viri continuò versari obligantur. In hujus legis violatores idem Gallus, Antistius vetus, Sempronius Sophus grandi supercilio, & severè admodum animadverterunt. Illorum enim uxores, *aliæ*, quia spectaculo sine venia interfuere, *aliæ*, quia γυναῖ (ut aiunt) κεκλῆ palam ventitarent, Repudii notâ afficiebantur. Licet Græcanicæ fœminæ majori licentiâ erga maritos usæ fuerint, ad *publica* tamen *munia* expediendâ nunquam promovebantur; imò ab omnibus contractibus majoris momenti ritè ineundis excludebantur. Inde Athenienses legem tulerunt,

Dion Chrysost. 73. de Incred. p.638.

τῆς νεωτέροις τοσάυτον ἐπὶ νόμῳ ἐκ ἐᾷ συμβάλλειν, ὡς ἀπίστοις ὄυσιν, ὑδὲ γυναικὶ πλὴ ἄχρι μεδίμνου κριθῶν, ἢ τὸ τῆς γνώμης ἀδυνεῖς. *Minoribus tot annis lex non concedit contractum facere, tanquam infidis: neque mulieri apud Athenienses, nisi usque ad hordei modium, propter consilii infirmitatem.*

Ob

Ob eandem fragilitatis conditionem lex Mosaica mulieres à Testimonio dicendo (auctore Josepho) omninò rejiciebat. Si quando Noachidem ob scelus aliquod, in Jus naturæ commissum, ad supplicium deposcebant, reus ex veteri Jure, unius, modò non esset fœmina, testimonio cadebat; אבל לא בעדות אשה *minimè verò ex testimonio fœminæ*. Pari passu Plato, in suâ republicâ, fœminis, quæ quadraginta annos nondum compleverant, fidem denegabat. Cum his concordat Novella Leonis, ubi prohibetur fœmina ὀπὶ τὰ περὶ συμβόλων μαρτύρια ἔρχεσθαι, vel testem & libripendem in Testamento ordinando comparere: quia in hisce actibus *solennitas* quædam & *testimonium συμβολικὸν* concurrunt; in quibus mulieres intervenire non poterant. Tam minima inter fœminarum greges & hominum

l. 4. Antiq. c. 5.

Seld. de Jure &c. & apud illum RR. p. 813.

l. 1. de leg. c. 11.

Nov. 48.

Harmen. l. 1. tit. 13.

Gellius. l. 6. c. 7.

num cœtus Communio intercedebat, ut non minus scelus ducebatur fœminas sub parentum potestate collocatas, Comitiis interesse, quâ si Lupanar intrâssent. Inde est quod Romana prudentia mulieres vetuit in Calatis Comitiis Arrogari.

Gothof. Lex fœm. 2. in prin. p. 27.

VII. Jam, si nefas sit illis in publicum prodire, vel coram Judice fidem facere, quanto magis ἐκκλησιάζειν, vel in Senatu perorare. Ulpianus non solùm fœminam, sed qui corpore suo *muliebria passus* est, à *postulando pro aliis* removet, cujus sententiam Harmenopulus, & Theodorus Hermopolites hisce verbis astruere videntur, ἀπάξιον εἶναι τὰς γυναῖκας δημοσίαν καὶ δικαστικοῖς πραγμάτων καὶ τοῖς ἀνδράσι συμμίγνυσθαι. In tantum Romani Cæsarum Patronas abhorrebant; ut quando audax fœmina suam causam in Sena-

l. 1. par. 6. D. de Post.

tu

tu egisset, *Patres novitate facti* perculsi, Deos perconctatum miserunt, quid mali urbi immineret. Non minori stupore perculsi Galli, quod Athildis Arteſiorum Comes ſe præſentem in foro exhibuisset, quando Senatus Roberti Artheſii cauſam judicaret, Ad hunc morem reſpicere videtur Juvenalis, ubi fœminas ita inducit loquentes: Plutarch. in Numa. Bodin. in l. 6. c. 6. Sat. 2.

Nunquid nos agimus cauſas,
Civilia Fura
Novimus, aut ullo ſtrepitu
Fura veſtra movemus?

Item in veteri Eccleſiâ (Decreto etiam interpoſito) cautum erat, ne fœminæ ſub graviſſimâ pœnâ in Eccleſiâ docere auderent. Tertullianus, *Non permittitur mulieri in Eccleſiâ loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis officii ſortem ſibi vindicare.* Hujus mentem Ambroſius Tert. de virginibus velandis.

Ambros. in l. quæst Vet. & Nov. Test. v. Grot. Ipar. flo. & Selden. de Syned. p. 546.

omnino assecutus est, *Mulierem constat subjectam dominii viri esse, & nullam auctoritatem habere; nec docere posse, nec testē esse, nec fidem dare, nec judicare.* Possem innumeralia Auctorum loca hîc congerere, ex quibus evincerem fœminas ab omnibus officiis (quæ privatâ tantùm auctoritate exercentur, quale habetur munus *Procuratoris*, *Advocati*, *Arbitri*) penitus remotas fuisse.

VIII. Videndum jam restat de Gynæcocratia, seu an *suprema Reipublica potestas jure quodam hæreditario in fœminas transferri possit?* Si res gestas ab orbe condito percurramus, occurrunt apud Annalium Scriptores fœminarum *fortia facta* viris vix imitanda. Testor Semiramidem Assyriaci Imperii fundatricem, Tomyrim, & Zenobiam, quarum illa

Herodot. l. 2. Justin. l. 1. Trebell. Pol. in 30. Tyran. Sig. simund. Bar. Muscov. in

illa Cyrum, hæc Persas domuit: inter quos fœminarum imperium per omnia ferè secula celebrata fuit. Vetustissimi Poetarum magno honore همای *Homay*, Viduam *Bahmani Daras-dast*, i. e. *Longimani*, (quem *Magi* primò شیر ارن *i. e. farina & lac*, Ebræi אחשורוש, Græci Ἀρταξέρξου nominârûnt) prosequuntur. Hæc *virilibus curis* supra sexũ dedita regni Persici habenas (filio Dario, داراب, quem posthumum peperit, nondum adulto; magnâ prudentiâ gubernavit; cuius gloriæ Alexander invidens supra mille Pyramides ab ipsa extructas diruit. Inter recentiores magnam nominum celebritatem binæ Sorellæ, (ambæ Choſravi secundi seu Abarwiz filiæ) sibi pepererunt; Quarum natu maior تورران Turan Elmacino dicta, *aliis* توران دخت (cognomentum *Docht* seu دختر virginem Persis sonat) per sedecim, aut si Elma-

v. Procem. Schik. Tarich. p. 22.

Schik. Tarich. p. 168.

cino fidem adhibeamus, per ſex menſes ſũmâ animi moderatione & prudentiâ ſceptrũ Perſicum tenuit; cui ſucceſſit ſoror

v. Sch. loco laud. Azurmy ازرمي بنت كسرى filia natu minima *Koſrai*. Hujus Patruelis Jankycharus, ſeu (ut Texeira & Elmacinus exprimunt) جشنسده Gaschanſeda, (cui ſecundùm regni Conſuetudinem ſucceſſio ſpectabat) die *ſuæ Inaugurationis* repudiatus eſt, eo quod hujus Delicatuli mollia tempora, quæ *Tiaram* geſtare aſſueta erãt, *Coronæ pondus* ſine moleſtia *horæ* ſpatio ferre recuſarent. *Azurmy* tamen *totius imperii molem*, in ſuos humeros tranſlatam, fortiter ſuſtinuit, & *Sororis* veſtigiis inſiſtens, Perſas per annum unum & menſes quatuor feliciter rexit. Hiſce meritò accenſẽtur Helena Ruſſorum, & Elizabetha Anglorum regina, quæ mulierem ſexum

Elmacinus Sarac. Hiſt. c. 1. circa finem p. 15.

Texeira c. 43.

sexum supergressæ, tum *res domi* prudenter administrârunt, tum arma in vicinos populos non sine nominum terrore circumtulerunt. Antiquissima tempora aliquot hujus sexus Phœnices in Septentrionali terræ tractu ediderunt; ubi promiscuus vivendi modus, & sine sexuum discrimine armorum usus invaluit: ita ut *Scythæ servili ingenio prediti* fœminarum fortitudini cedere, & sub earum jugo colla subdere non dedignati sint. Inde est, quod Boreales gentes, & Germani *apud Tacitum*, fœminarum tum in Bello *virtutem*, tum in pace *consilia* adhibuerunt: inter quos æquali Jure tam *fœminæ*, quàm *masculi* in regno hæreditario succedebant: At postquam Longobardica barbaries se eum prudentiâ Romanâ temperâsset, Scythici fœminarum mores juxta legis Romanæ normam exigebantur; ut quæ olim hastas & spicula tractare solitæ erant; jam ad lanificii operam damnarentur. Cum

variæ

variæ gentes ob fœmininũ imperium multas sint passæ calamitates, *Salica lex* inter omnes *(quasi esset de Jure Gentium)* ferè obtinuit. Propheta inter regni Judaici miserias à *mulieribus regi* denunciat, juxta illud Leoninum vulgò decantatum,

Esaias c. 3. v. 12.

Regna regunt vulvæ, clamat gens tota simul Veh: (regi. Interitus regni est à muliere

Huiusce rei testimonium luculentum *veterum Annales* præbent. Quid referam infausta illa subditis nomina Cleopatram, Irenen, Drahomiram Bohemiæ reginam, Bruhildem Childeberti matrem, & Sigeberti viduam? Cum in Novissimis Annalibus fœmininum imperium *nigro Carbone* consignatum legimus. Testor Katherinam Medicæam *Sacrosancti fœderis* inter Catholicos *matrem*, quæ simultates & studia partium inter subditos suos

Joseph. Archæo. l. 15.

eo

eo usq; fovebat, donec tota Gallia armorum strepitu & Civium cædibus perhorreret.

IX. Quare omnium ferè gentium moribus receptum est, ut Gynæcocratia è medio sustolleretur. Inter Ebræos Deboram Jurisdictionem cœlitùs demissam exercuisse fatemur; Eorum tamen *Commune jus* fœminas ab imperio (auctore Maimonide) disertim excludit, אין ממנין אשה במלכות שנ׳ עליך מלך ולא מלכה וכן כל משימות שבישראל אין ממנין אלא איש Non *collocant mulierem in regno, quia dicitur, Deut.* 17.15. *super te regem, neque scriptum est reginam; sic & in omnibus præfecturis Israeliticis, non constituunt nisi viros.* Summa laude Romanorum hâc ex parte prudentiam extollere debemus, qui *infimum servitutis genus* ducunt fœminis obedire. Hinc *Taciti vox,* Romano

Maim. Mela. c. 1. v. 6.

Schik. Jus Regium. c. 2. p. 16.

Romano pectore non indignæ, cum
Tacit. de morib. Germ. *Sitones* à mulieribus regi dixisset, *Tantum non modò à libertate, sed à servitute degenerât.* Nam vitia quædam in fœminis regnant, quæ virtutibus, quibus Imperatoria dignitas maximè resplendet è diametro opponuntur. Cum *respublica*, tanquã navis in procelloso mari jactata, naufragium timet, opus est, ut imperii callentissimus ad gubernacula admoveatur; cujus pectus omnia magna spirans, ad pericula tum *aggredienda* tum *sustinenda par* habeatur. At fœminini corporis mollities, in quo habitat *mens sui impotens*, ad onus belli sustinendum, *vimque vi* repellendum inhabilis censetur. Hinc est quod Polonorum gens bellicosa *Rixæ* Præmislai unicæ filiæ successionem
Michovi. l. 1. Chron. denegabat, & *Heldwigim* Ludovici filiam, *Vandamque*, reginas, regno exuerunt: Non *quasi* viri fœminæ parere gravati fuerunt sed quia illæ, *impendentibus*

bellis

bellis, hostium impetus eludere ineptæ judicarẽtur. Consultò itaq; decretum est à supremo Constantinopolitani imperii Senatu, ut Eudoxia Imperatrix in matrimonium Diogenis Romani fortissimi Ducis convolaret; cujus virtute Sultanum Turcicum, in Imperii fines omnibus copiis irruentẽ, reprimeret. Eodem consilio ordines regni Suecici Christinæ, Gustavi Magni filiæ, se regno abdicare suaserunt; ut gens armis ab unguiculis assueta sub bellicoso Principe regni pomœria dilataret, & caput, tanquam *murum aheneum*, contra Austriacæ domûs insultus objiceret. Ista est Papatus *seculare brachium*, quod tum *libertatem Germaniæ*, tum *reformatam religionem* è medio tollere totis viribus contendit. Solus repertus est Suecus, qui Austriacos ex insidiis, & consutis dolis, *in apertum* vi armatâ redigere audet. Alterum Imperatoriæ dignitatis sustentaculum est *Taciturnitas*, Zon. in Rom. Diog.

citurnitas, sub quâ tanquam sacro sigillo *Arcana Imperii* recondi solent. At quam inimica sit muliebris natura huic *Sacro silentio* Portia Catonis Uticensis uxor, & infœlix illa Pollionis, rotundo ore fatentur. Fœminæ pectus rimarum adeò plenum est, ut *nihil tacere possit, nisi quod nesciat*; juxta illud Comici,

Plutarch. in Cat.

Portius Latro apud Senec. Cont. 13.

Plaut. in Aul. Act. 2. scen. 1.

Nam multùm loquaces meritò omnes habemur,
Nec mutam profectò repertam ullam esse
Hodie dicunt mulierem ullo in seculo.

Tam intemperans loquendi prurigo, tantaque linguæ lubricitas huic insidet, ut instar tremebundi folii nullo negotio contremiscat. Huc respexisse videtur Æschylus,

Σμικρὰς δ' ὀρθοτμὰς τῶν λάθρᾳ λέγω
Πλειὰς ἐπεισπέρυζαν. ἡδονὴ δ' ἵν'
Γωνιᾷ, μηδὲν ὑγιὲς ἀλλήλοις λέγειν.

Et

Et cum parvas occasiones sermonis accipiunt,
Plures addunt. Voluptas verò quædam
Mulieribus est, ut nihil sani inter se dicant.

Nolo cætera earum vitia (quibus se sceptro indignas reddiderunt) ulteriùs persequi; mihi pro argumento satis est tacitus omnium gentium consensus, qui multis abhinc seculis ut mulieres domesticæ curæ unicè vacent ratum habuit.

X. Ex prædictis patet, fœminas, *utque gentium moribus, nec ullo Jure* Magistratum gerere posse; sed *an inferiores ministerii gradus in republicâ capessere, vel Judicis Pedanei partes agere liceat sub Judice jam lis est.* Diximus Græcos, Gallos, Germanos, & veteres Britannos, illas in consilia olim adhibuisse; at in *novissimis temporibus* iste mos in desuetudinem abiit, adeò, ut mulieres Jurisdictionem *more Majorum* in *terris* tantùm *Patrimonialibus*

monialibus sibi reservârint. Inter Orientales verò Noachidas tale quasi humani generis *placitum* receptum, שאשה פסילה לדון *fœminam judiciis exercendis imparem esse.* Exinde magistri Israelis *Similem* sibi *Canonem* (quo fœminæ à Tribunali deturbatæ sunt) efformârunt, quem Maimonides sic describit, ולא תדון אשה להם *& fœmina judiciis eorum non rite præst.* Quæ regula ex Jethronis verbis facilè deducitur, quando cum ipso Moses de Judicibus eligendis consilium ceperat, *Cape* (inquit) *tibi* אנשי חיל *viros potentes*, seu ut alibi legimus אנשים חכמים *viros sapientes*; ad excludendum fœminas, ut Commentatores Critici Ebræorum abundè testantur. Sit mihi instar omnium Glossa Salomonis Jarchii, אנשים יכי העיר על רעץ נשים מה תלי אנשים *Viros; ne de sexu altero*

v. RR. apud Seld. De Syned. c. 14 p. 545. Idem de Jure &c. p. 812. Exod. c. 18. v. 21. 25. Deut. 1. 13.

tero rem dictam sentias, expressim viri nominantur. נוהגת בארץ ישראל בזכרים לפי שבה חמשפט כמו שאמרנו כמה פעמים אבל לא בנקבות לפי שאין דנות

Usus ejus est in Terrâ Israel in Masculis, ibi enim exercetur judicium, ut aliquoties jã monuimus; ad mulieres non pertinet, utpote quæ non judicant. Universim hoc a R. R. receptum est, ut fœminæ à præcepto Judicandi omnino excipiantur, quod, juxta scitum illud Rabbinicum, obligat Israelitas הזכרים אבל לא נקנות שאינן דנות *Masculos; fœminas, quæ nõ judicant, non item.* Idem jus ex Ebræo fonte ad Græcos, Romanos, cæteraque gentes perpetuo quodam alveo derivatur. Imperatores, tam Orientales quàm Occidentales, perpetuis edictis inhibent, ne mulieres judiciis præficiantur, aliisque Civilibus officiis omninò fungantur: Idemque

v. Hotting. Jus Heb. p. 112. 113. Maimon. Sanhed. c. 20. v. Talmud. Sanh. c. 7.

Basil. l. 7. tit. 5. par. 12.

l. 12. Cum Præt. par. 2. tit. de Jud.

démque Jus Pontifex Romanus ſuo calculo poſtea comprobavit. Non quia fœminæ omni judicio carent, Sed *porque non ſeria Coſa* (ut leges Hiſpanicæ loquuntur) *quiſada que eſtoweſſe Muger entre la muched-umbre de los omes librando los pleytos. Indecens foret eas litibus Forenſibus inter Viros Commiſceri.* Cedit enim in Contumeliam, ut ſupra innuimus, matronalis pudoris, irreverentèr in publicum irruere. Accedit ulteriùs, ſi fœminæ ab *interveniẽdo, poſtulando, teſtimonium dicendo* aliſque Civilibus Officiis removeatur, multo magis à Judiciario munere, propter τὸ γύναιον ἀδύνατον, repelli debent. Illæ enim ὀλιγοδεὲς καὶ εὐαπάτητον ἔχειν φύσιν, tam ſacro muneri (quod judicium longo rerum Uſu attritum poſtulat) impares apud omnes gentes habentur. Romanæ

Alph. de Azeu. Recapitul. lib. 3. tit. 9. l. 7.

l. ex. 21. c. de Procur.

Dio Chryſoſt. Orat. περὶ ἀπιστίας

manæ leges non ob Consilii infirmitatem sequiorem sexum hisce muniis fungi posse negabant, sed quia *omnium gentium moribus* (ut inquit Paulus) *ita receptum erat*. Qui plura volet de hac quæstione adeat Jacobum Gothofredum τὸν κατειρλω & Virum Cl Richardum Zouchæum, in Quæstionibus Juris Civilis nuperrimè ab eo hic editis, Rolbagium alioſque. D.l.5. Tit. 1. l.12.p. 2. Ad l.2 D. de Regul. Juris Classis 3. Quæst. 2.

AN

AN LEGUM IMPERITI POSSINT ESSE JUDICES? N.

CAP. Consp.

I. *Status Quæstionis pro variis Reipublicæ formis multiplex assignatur. Quandoque cives* mutuo metu & necessitate *adacti Corpus Politicum efformant. Quandoque familiæ ex una radice pullulantes Sponte suâ Reipublicæ formam induunt. Quale Regimen inter Semi Posteros ante Mosaica tempora viguit?*

II. *Qualis Censetur Respublica Noachidarum? Proselyti Domicilii ob Jura Noachidarum violata inter Ebræos Capite plectuntur. Horum Tribunali unicus Judex præsidebat, qui, contra Solennitates in Foro Israelitico usurpatas, ex unius testimonio sententiam dicebat. Ritu Noachidarum Primogenitus*

mogenitus ex Semi posteris דין אחד Judex unus constituebatur. Sodomitæ Lotũ, ob peritiam in Jure, Judicem crearunt.

III. Veteres Phœnices Academiam in Hebrone (quæ postea קריית ארבע vocata) fundârunt. Judæi ἀπὸ διαστολῆς duas scholas, Surensem & Pumbedithanam, Juris studio dicatas erexerunt. Nemo inter Ebræos Tribunal conscendebat, nisi qui omnium literarum panoplia erat instructus. Tres ordines Regni Judaici astruuntur, quorum supremus fuit Rex. Is ordinarii Judicis partes in tribunali Regio transegit. Nocte die, versabatur in Lege. Josephus suos ob peritiam laudibus effert, & Romanos Magistratus ob stupendam Legum inscitiam increpat.

IV. Unde Venetorum Respublica originem traxit? Quatuor summa imperia jure gladii stabiliun-

tur. *In primordiis cujusvis Imperii viri militares jus dicere solent. In tranquillo Reipublicæ statu æqui bonique æstimatores in Judices cooptantur. Quandoque viri rerum inexperti, vel studio partium, vel magnatum gratiâ ad judiciarium munus exercendum promoventur.*

V. *Portentosa judicum Atheniensium insciti a taxatur. Archon Polemarchus, & Rex Sacrorũ, duos Assessores, qui jus suggererent, assumebant. Formulæ ab Archonte usurpatæ, quando de Judiciis capitalibus ἀνάκρισις instituebatur. Paredri illis aliquando dabantur, quandoque ipsi jurisperitos in Consilium adhibebant. Quo casu Assessores rejici poterant?*

VI. *Reipublicæ Romanæ prima fundamenta in fratricidio jacta fuere. Romana juventus armis ab unguiculis dedita literarum otium contempsit. Cato*

Abece-

Abecedarius senex. Centuriones, ut plurimum, Ordinarii Judicis partes agebant, usque ad Justiniani tempora. Romæ Judices censuum ratione eligebantur. Ovidius & Gellius, à Juris studio alienissimi, Judices coeptati fuere. Quantum Recuperatores Romani ab Anglicanis differunt?

VII. *Quantum differunt Paredri Athenienſium ab Aſſeſſoribus Romanis? Paredri univerſum Archontis jus adminiſtrabant. Aſeſſoribus non licuit abſente magiſtratu cauſas cognoſcere. Peſcennius Niger legē tulit, ut Salaria de publico ærario acciperent. Sententia contra jus dicta Aſſeſſorum fraudi tribuitur. Per quinquaginta dies ad rationem reddendam in provincia reſidere tenentur.*

VIII. *Profeſſorum imperitia culpæ adnumeratur. Magiſtratus ſententia Aſſeſſorum periculo lata*

est. Narratiuncula de Alipio Assessore ex Augustino recensetur.

IX. Veteri jure Judices Jurisperitorum Responsa exquirebant, à quibus recedere non licuit. Justinianus lege cavit, ne Judicandi honestatem ab aliis emendicarent. Imperitus Judex Memnoniæ statuæ assimilatur. Ἀναλφάβητος munia Judicis subire ineptus videtur.

X. Magistratus ἀπειρκαλία Reipublicæ maximè nocet. Juvenes invitâ Minervâ ad professiones adstringi Absonum videtur. Interest Reipublicæ unumquemq; civium pro ingenii modulo ad munia publica promoveri. Saraceni in primis temporibus jurisprudentiam profitebantur. Liberales Artes Almamonis seculo ad summum fastigium inter Arabes pervenerunt. Literarũ contemptus magnã mutationẽ in Chalifatu Babylonico peperit.

CAP.

Cap. VI.

Judicis nomen (ut alibi ostendimus) summo sæpè Magistratui adhæret, ut plurimùm in homines inferioris subsellii transfertur. Hinc multiplex nascitur quæstio, quæ pro varia corporis politici textura *aliam & aliam speciem* induit. Scire multum refert; *An de Judicis ordinarii vel Principis imperitiâ disquisitio instituatur*, Seu, *An iste summam rerum imperitè administrando, vel versutias fori imprudentèr investigando, in jus commiserit?* Imperitia in utroq; genere *Principi* apud nonnullas gentes imputatur; tũ maximè quãdo vim hostilẽ suopte Marte repellere, vel *pacis artes excolere* nunquã didicit. Non opus est sẽper, ut Imperator gregarii Militis munia, vel Nauclerus vulgaris Nautæ partes exercere calleat. Ubi Armorum

vis ad ſuppetias mutuò ferendas populum in greges ſe colligere coegerat, ibi homines *metu & neceſſitate compulſi totum Jus* à ſe tranſferendo, ſub aliorũ regimine colla ſubdere non recuſarunt; & ab *arma tenentibus Jus* accipere non erubuerunt: Quæ *Caſtrenſis Juriſdictio* (ut cum Tacito loquar) *ſecura & obtuſior eſt, plura manu agens calliditatem fori non exercet*. At, ubi numeroſæ familiæ ex una radice pullulârunt, & in immenſũ cacumen ramos ſuſtollunt, quæ non minus ſanguine, quàm *ſacro religionis vinculo* conjunctæ Reipublicæ formam induunt, in quâ omnes ſubditi *præceptis* πατροπαραδότοις, quaſi Paternis monitis, ab unguiculis probè imbuuntur: ibi homines annis graves, & longo rerum uſu attriti, ad Reipublicæ gubernacula Communi civium ſuffragio admoventur. Hujus farinæ regimen ante legem in Sinai latam

latam inter *Semi posteros*, & post *Mosaica tempora* inter Ebræos viguisse *Magistri Israelis* memoriæ prodiderunt; apud quos summus Magistratus exquisitâ legum omnium peritiam calluisse vero consentaneum est.

II. Primæva Noachidarum respublica ex lumbis solius Noachi, uti arbor ex stirpe germinavit; Quorum *septem præcepta* (tanquam *universale Naturæ Jus*) generis humani præcordiis insculpuntur. Hæc quandoque מצוות בני נח *præcepta Noachidarum*; quandoque נצוה אדם הראשון (quasi Homines Postdiluviani ista *ab Adamo primo homine* ex *traduce* recepissent) appellantur. Nemo mortalium in tam crassis ignorantiæ tenebris versatur, qui hujusmodi leges non habet in *numerato*. Quare, *ex sententiâ fori Israelitici* Proselyti Domicilii (licet in fœdus nondum essent recepti) ultimo

Seld. de Jure &c. & apud eun RR. p. 101, 812. Just: Instit. de Jure Natur. §. Sed Nat.

mo Supplicio afficiebantur, si *unũ caput* Juris Noachidarum apertè violâssent, vel flagitii participes, *culpave tacitæ consciis*: hos Maimonides בעלי שבם *consentientes* appellitat) *nocentes* in Jus ducere recusâssent. Cui fini Tribunal Proselytis peculiare, *Judicemq; extraordinarium* (quem cum Aristotele ξενικὸν nominamus) Ebræi constituerunt; ubi unicus Judex דין אחד secundùm *Noachidarum placita* (missâ fori Israelitici, legisque Mosaicæ solennitate) sententiam dicebat: Nec multùm referebat utrum *designatus Judex* sub fœdere, an Gentilis fuerit natus, modò *septem præceptis* legitimè fuerit initiatus. In hanc sententiam, à veterum institutis non recedens, pedibus ivit Maimonides, ובן נח נהרג בעד אחד ובדין אחר בלא התראה ועל פי קרובים *Noachides ad mortem damnatur*

Hal. Mela. c. 9.

Pol. l. 4. c. 17.

Maim. loco citato.

matur *ex sententia unius* Judicis, *atque ex unius testis testimonio, sine præmonitione atque testimonio propinquorũ*: contra formulas in foro Ebræorum vulgo receptas, & à Deo ipso in Mara inculcatas. Nam in *Judiciis Capitalibus*, juxta jus eorum Civile, consessus viginti trium virorum præsidebat, qui *nullius*, nisi *propinquorum* testimoniũ recipiebant. At ante latam à Mose legem primogenitus ex Semi posteris (ad quos כהונה ומלכות *Sacerdotium & regnum de jure spectabant*) unicus Judex cõstituebatur. Quin & Moses ipse, ante Tabernaculum constructum, misit duodecim נערים *juvenes* ad victimas immolandum, & Holocausta *ritu Noachidarum* (quibus *Sacrificia omnimoda Holocausta erant*) peragenda super altare, quod ad radices montis extruebatur,

Seld. loco supra laud.

v. Seld. de Syned. c. 16. p. 642.

Seld. de Jure Nat. l. 7. c. 6.

Maim. loco laud. Exod. 24. 5.

truebatur. Jam hi Adolescentes à Targum Onkelos בכרי בני ישראל inter primogenitos cujuslibet tribus numerantur. Hujus Paraphrastis vestigiis insistens Arabicus Interpres Saadias reddit وبعث اكابر بني اسرايل *& misit primogenitos filiorum Israel.* Ob hanc forsan familiæ prærogativam Sodomitæ Lothum הראש ואדון *caput & dominum quinque*, quos habuerunt, *Judicum* crearunt. Eodem enim die, ut constat ex *traditione Magistrorum*, quo Angelus eum ex urbe vocavit, מינוהו שופר עליהם *constituerunt eum Judicem super se.* Nisi conjectura & Rabbinorum traditiones me fallunt, Sodomitæ supremi Judicis honorem ob summam *in Jure Noachidarum* peritiam tanto hospiti detulerunt. Nam prima Juris elementa in *Ur* (Ptolemæus *Orchoen* & *Orchomenen* vocitat) antiquissima Chaldæorum seu Chasdim

dim Academia hausit, qui postea sub Abrahamo patruo (*literarum abyssο*, נשיא אלהים *& principe Dei*) liberè eductus tantos profectus fecit in Jure gentium, ut meritò דין אחר inter Sodomitas haberetur. Iste mos unicum Judicem stabiliendi, qui cæteris morum gravitate & prudentiâ antecelleret, usque ad *Mosaica tempora duravit*. Moses ipse *literis Ægyptiacis* à teneris annis institutus, & sapientiâ cœlitus demissâ afflatus, populo Israelitico juxta vetustissimum ritum Noachidarum *Solus* jura dabat. At cum tanto oneri ferendo imparem se judicaret, alios prudentiâ insignes (populo in plures Præfecturas diviso) Judices creavit.

v. Seld. de Synedr. p. 646.

Salom Jarch. ad c. 19. v. 1. Genes.

III. Quando Hebræorum status (juvat usque morari in hâc Theocratiâ) perfectam & stabilem formam induerat, Deus Opt. Maxim. successionem Judicum haud interruptam halitu divino afflatorum, qui

qui populum regerent, elegit. Hísque alios non minori sapientiâ præditos subrogandi cura demandata est. Quare Scholas Juris studio dicatas (ubi veterum Phœnicum olim viguit Academia) in Hebrone aperuerunt. Quæ cognomentum ab antiquo (postea *Debir* nominata erat) קריית ארבע, juxta Chaldæum Paraphrasten, meruit; hoc est, πόλις τ γραμμάτων, *urbs Bibliothecæ seu studiorum.* A quo sensu *Textus Hebraicus cum versione Syriacâ* non longè abest. Versio Arabica in Bibliis Anglicanis noviſſimè impressis قرية الكاتبين *civitatem Scribæ* reddit. Quasi Scribæ (qui Juris patrii studio unicè operam navârunt) in Academiâ Sepheriana tantum floruerint. Posteris verò temporibus Judæi τ διαιτητῶν, ne deessent Juris periti, qui Tribunalibus (quorum numerus indies augebatur

Xenophon in æquivoc.

Jud. 1. 12.

Jos. 15. 15.

v. Buxtor. Syna. Judaica Schickar. p. 111.

gebatur) præessent, duas Academias in terra Babylonica *Surensem & Pumbedithanam* de novo instituerunt; quæ per *octingentos & viginti annos* magno studentium concursu celeberrimæ extitere; ex quibus, tanquam *ex Equo Trojano* viri prodiêre qui rempublicam Judaicam omni seculo administrârunt. In quâ non licuit cuivis, nisi qui sit חכם ברינים וישר בדרכיו *Juris sacri peritus & moribus integer* litigia *inter partes* componere. Solus sapiens veritati & judicio litat, juxta illud Maimonidis כי החכם בריני וישר ידון דין אמת. Nemo ad Judiciarium ordinem in Synedrio magno promovebatur, nisi qui omnium literarum panopliâ esset instructus, & quotidianâ legũ exercitatione maximè versabatur. Maimonides, אין מעמידים בסנהדרין אלא אנשים חכמים ונבונים מיפלגים

Hotting. Juris Hebr. l. 218. & apud eum Rabb. p. 519.

Majmonid. Hal. Sanh. c. 2. statim ab initio.

בחכמת

נחכמת התורה בעלי דיעה מרובה ויודעים קצת משאר חכמה *Non constituunt Synedrii Assessores, nisi viros sapientes, prudentes, exercitatos in lege, doctos valde, scientes quoque aliquid de cæteris artibus;* puta Medicinâ, Astrologiâ, sive divinatrix fuerit, sive Planetaria, eo solum fine כדי שיהיו יודעים לדון אותם *ut illa judicare valeant.* Abravanel (Auctor nulli inter Ebræos nisi Maimonidi secundus) *confessum magnum* ex primoribus Israelitarũ constantem accuratè delineat בית הגדול שהיה בירושלים היועצי סנהדרין גדולי ישראל בחכמה בתכונה וברעת ובכל מלאכה *Domus Judicii majoris, quæ Hierosolymis erat, Sanhedrin dicta, LXXI constabat viris, primoribus Israelis, sapientiâ, prudentiâ, & multo rerum usu admodum conspicuis.* Nec tantùm à Synedrii magni Assessoribus legum peritiam postulabant,

Abrav. ad c. 17. Deut. v. 8.

sed

sed & à cæteris regni ordinibus; Quorum *tres ex mente Abravanelis* in terrâ Israeliticâ Juri dicundo vacabât בית דין קטן גדול ומלך Ab. fol. 364 Col 3.

I. Consessus XXIII virorũ.

II. Synedrium Hierosolymitanum.

III. *Rex* שהוא המרכז הגדול *qui utraque domo erat superior.* Huic incũbebat onus, Abra. ad Exod tum *bella Domini gerere,* 21. v. 28. tum *justitiam extrajud cialitèr* (re postulante) inter 2 Sam. 8. 15. Deut. 17. v. 18 Subditos administrare. Indè est quod nomen מלך או ש בט *Regis aut Judicis* (*Abenesra & Abravanele* testibus) in sacris literis promiscuè usurpantur. Cum itaque supremi Judicis partes in Tribunali regio (à Synedriali enim exclusus est) exerceret, judiciáque sua ad statutorum normam exigere teneretur, cautum est, ut librum Legis (in quo nocte diéq; versari debuit) manibus sẽper tereret אלא בלילה כשיכנס לישן ערב מטתו *nisi fortè* Maim. c. 7. Tephill.

noctu

Schik. Jus Regium p. 50. 51. 52. 53.

noctu quando dormitum it ad lectum suum. Huic usui Rex duo legis exemplaria manu propriâ *ex libro Sacerdotum* exarare tenebatur

Majm. Hal. Mel. c. 3.

אחד מניחו בבית
גנזיו שהוא מצוי לו בכל מישראל
והשני לא יזוז מלפניו אלא בעת
שיכנס לבית הכסא׳ או לבית המרחץ
או למקום שאין ראוי לקריאה

Quorum *unum asservabatur in thesauris suis, nempe illud ipsum quod præceptum est singulis Israelitis: alterum nunquam removebatur ab ipso, nisi cum vadebat ad latrinã, aut balneum, vel loca in quibus legere minime conveniebat*. Unde palàm liquet, quantum Magistratus Ebræorum Romanis anteferuntur? Inter *illos*, (ut ex dictis constat,) nemo literarum rudis ad regiam dignitatem ascendebat; *Inter hos* verò Cæsar aliquis Licinius repertus est, qui tam stupendâ literarum inscitiâ præditus erat, ut *nomen literulis* exprimere

mere vix unquam poterat. Hujus discriminis rationē elegantèr tradit Josephus; Καλλιστον, καὶ ἀναγκαιότατον ἀπάντων παιδεύματων τὸ νόμων, καὶ μὴ σπάπαξ ἀκροασομένες, ἢ δὶς, ἢ πολλάκις, ἀλλ' ἑκάστης ἑβδομάδος τοῖς ἔργοις ἀσχολίας ἐπὶ τὸ ἀκούειν τὸν νόμον ἐκλείπειν πολλαχῆς, καὶ πάντων ἀκριβῶς ἐκμανθάνειν, ὁ μὴ πάντες ἐν νομοθέτῃ ἔοικασι περιλιπεῖν. *Legislator noster optimam, ac maximè necessariam ducens legum cognitionem, jußit coire nos & congregari, non semel, aut bis, aut sæpius, sed septimo quoque die, operibus omnibus relictis ad audiendam legis lectionem; ut quisq; eam accuratè discat, quod à cæteris omnibus Legislatoribus video prætermissum.* Accedit, quod Ebræi leges perspicuas, & omnibus numeris absolutas, *ex ore Dei* acceptas literis consignârunt; Quibus Tyrones imbuti actiones humanas, ad *decem capita* jam revocatas, in digitos mittere solebant. At vagæ et tenebricosæ illæ *Gentium leges* non aliis cancellis circum- Josep. l. 2. Contra Appion.

cumſcriptæ erant, quàm Magiſtratus pectore; qui obſcuras dilucidare, et ſententiolas vetuſtate ſemieſas pro ingenii modulo ſupplere ſolitus eſt: uti præficæ inter cinerũ aggeres diligentèr inveſtigando combuſti Cadaveris reliquias colligunt, ita humani legiſlatores antiquitatis rudera pervolvendo innumeras ſapientiæ particellas, at ſine ordine mixtas, congerunt, ex quibus vivendi regulas conflatas tanquam leges nobis obtrudunt; quæ non magis referunt *divina monita ex ore Dei excepta*, vel *primævam rationem*, (cujus jacturam in primo homine fecimus) quàm cineres in urnâ reconditi vivum hominem depingunt.

IV. A Theocratia Ebræorum ad Reſpublicas humano jure conſtitutas tranſeamus. Quarum aliæ, (qualis Venetica) originem trahunt ex colluvie hominum, qui adventantis hoſtis metu perterriti in loca inacceſſa vel ab aliis neglecta, ſe recipiunt, ubi

ubi à vi externâ jam immunes in Commune consulunt, quomodo cives se *mutuis pactis* devinciant,& pacem colant. In tali regiminis formâ prudentiores & digniores communi civium suffragio dignitates & publica munia capessunt; nisi contingat, ut alii *studio partium vel sordibus corrupti* vincant partem meliorem. Nascitur alia respublica ex belluinâ hominum virtute: Cum gens à naturâ inculta, moribus incondita, in armis,& *ex rapto accipitris* more semper vivere consueta, armorum studio supra modum dedita, *Conterminos* (sive Pastoritiam vitam degant, sive terram in pace colant,) *ferro & flammis* opprimit; nec tantùm laborum fructus devastat, sed & incolas in servitutem agit. Hinc quatuor summa Imperia initia & incrementa acceperunt; ex iisdem Cunabulis Saracenica, Turcica, & quotquot jam per Terrarum orbem regna florent, magnos progressus fecere. At distinguenda

ſtinguenda tempora. Nam, ſi loquamur de *primis Imperii natalibus*, palàm eſt, ad ſummi Magiſtratus Senatorum, Judicum, dignitates promoveri *Exercituum ductores*, *Tribunos*, *Centuriones*; quorum ingenia non aliud ſpirant, præter *nativam truculentiam*, legeſque Captivorum ſanguine jam jam recentes: ubi omnes hujus regiminis *partes* σπαπαρτια; potiùs quàm reipublicæ formam præ ſe ferunt. At ſi *de mediâ ſeu ſtatâ cujusvis imperii ætate* (quatuor enim ætates corpori politico cum Floro aſſignamus) quæſtio fiat, Aſſerimus gentem armis oppreſſam ac *jugo* per multos annos aſſuetam, collum placidè ſubmiſſuram & Victorem longâ cum ſubditis conſuetudine fretum *mitiorem & æquiorem* ſe redditurum; qui, *vulgo placere ſtudens*, optimos quoſque *æqui bonique æſtimatores*, et ſummæ integritatis viros in judices cooptabit. Accidit quandoque in republicâ benè ordinatâ

natâ, ut alii, licet omnium literarum rudes, *Magnatûm tamen gratia, vel opibus potentes*, itemque milites (ingruente belli civilis tempestate) ad munia publica evehantur. Hâc tamen adhibitâ cautelâ, ut hisce alios, ex corpore studiosorum Juris assumptos, tanquam συνεδρους seu Comites adjungant, quē morem tam in Republicâ Atticâ, quàm Romana usu venisse infra evidentiùs liquebit.

V. Dum terra Attica sub populari fluctuabat regimine, dici non potest quanta *injustitia, quot tumultus totâ urbe* grassabantur, quos sola Judicum insciția peperit: Nam ex 5000 Judicibus, *vix tot, quot Thebarum portæ*, summis labiis literarum elementa degu stârunt. Portentosa fuit, (si vera narrent Annales) Judicum stupiditas, qui *Aristidem* omnium mortalium *justissimum*, ob rumusculos tyrannidis ab eo affectatæ seminatos, *ostracismo* mulctârunt. At potestas

Archontum

Archontum istâ populari longè æquior videbatur: summus enim Magistratus, *ne in apicibus Furis* (in quibus minime versabatur) decidendis lapsaret, *Adsessorem* sibi adscivit. Aristoteles apud Harpocrationem, λαμβάνειν δὲ παρέδρους ὁ πρῶτος ἄρχων καὶ ὁ πολέμαρχος, ἵνα ὑπὸ ἑκατέρου ὡς ἂν βέλτιστα ἔχῃ τὰ δικαστήρια· ἔτι δοκιμάζουσι τοὺς εἰς τὸ δικαστήριον εἶναι παρεδρεύειν, καὶ εὐθύνας δίδοασιν, ἐὰν παρεδρεύσωσι. Solebat enim *Archon, Polemarchus, ipsique Rex Sacrorum*, viros juris peritos (quos παρέδρους vocant) consulere, aliósq; sibi consiliarios adhibere, qui jus sibi suggererent, τὰ ἐκ τῶν νόμων τοῖς ἄρχουσιν ὑπηρετοῦντες, καὶ τὰς ἀσχολίας ἀναπληροῦντας αὐτῶν. *Qui legum placita Magistratibus suggererent, & quod non poterant per occupationes consequi supplerent.* Archontes enim πολλαῖς (cum Justiniano loquar) περιεχόμενοι φροντίσιν *multis curis circa pacem bellumque districti*, forensibus litigiis vacare non poterant. Porrò viri qui ad summi magistratus

Ubbo Emmius Append. de Rep. Attic. p. 402.

Justin. Nov. 82.

gistratus honorem evecti, utpote inter arma ab unguiculis plurimũ enutriti ob militarẽ eorum simplicitatem, calliditatem fori non assequebantur. Quàm ineptum sit militare ingenium *partes interrogatoriis actionibus, ante litem Contestatam*, lacessere, eásque cogere *de suo jure aliquid respondere?* At subtilis illa Quæstiuncularum provincia Archonti obtigit (ut Isæus literis mandavit) τοὺ Ἄρχοντας ἀναμίγνυν τοῖς συντεθεμένοις τὰ ἀγῶνα, καὶ τοὺ συντιθέντας εἰς τὰ ἀγῶνα καταφέρειν, *Magistratus litigantes interroganto, litigantes respondento.* Quando ἀνάκρισις de judiciis Capitalibus instituebatur, Thesmotheta (apud quem scripta erat *dica*) Actorem hâc formulâ (teste Ulpiano) compellabat, ΕΙ ΒΟΥΛΕΙ ΚΑΤΗΓΟΡΕΙΝ, ΕΙ ΜΑΡΤΥΡΑΣ ΕΧΕΙΣ, ΕΙ ΧΡΗΖΕΙΣ ΤΟΥ ΠΑΡΕΙΝΑΙ ΤΙΝΑ: Respondit

Herald. de rer. Judic. Auctorit. p. 113.

D. de interrog. in Jure facien. l. 1. p. 1. par. 1. vid. apud Petit. Com. Atticis p. 318.

v. Ulpian. ad Demost. in Midian.

dit Actor se omnia testimonia habere, partémque à se in Jus vocatam ream (juramento prius interposito) peracturum spondebat. Insuper spinosæ magis in causis Civilibus ἐξετάσεις seu quæstiunculæ subnascuntur, ex quibus non nisi Judex *emunctæ naris, & in apiculis Ordinarii Furis versatissimus*, veritatem subodorari possit. E. C. in *Hæreditate adeundâ jure Cognationis*, Archon (qui de Hæreditariis & pupillaribus litibus cognoscebat) hujusmodi quæstiones, ΤΙΣ ΜΗΤΗΡ, ἢ ΟΤΟΥ ΘΥΓΑΤΗΡ &c. litigantibus proponere solebat: Et ne *ille* à *Furis solennitate* (utpote legum imperitus) aberraret, Juris peritum consiliorum participem sumpsisse testatur Demosthenes, λέγων ὅτι διὰ τὴν ἀπειρίαν τῶν πραγμάτων, καὶ τὴν ἁπλότητα τὴν ἑαυτοῦ, τοῦτον πάρεδρον ποιήσαντο, ἵνα συνιὼν ἦν ἀρχήν, ὡς ἔυνοιαν ὄντα *propter imperitiam rerum, dicens, suámque simplicitatem istum Adsessorem sibi adsciviisse tanquam benevolum*, ut

ii

magistratum administraret. Apud eundē alicubi legimus in oratione contra Midiā, filiū adhuc annis terum & rerū inexpertū in Prætura suffectū, patrem suū in Assessorem asciviſſe: παρὸς παρεδρεύοντ' ἄρχοντι τῷ αὐτοῦ. In quæ verba Ulpianus ita commentatur, Συμπαρῆντο γὰρ συνεπάρχοντι τῷ παιδὶ μὴ σφαλῆναι τὸν ἀμάρτῃ καὶ τὰ ἀρχεῖα, παρεδρεύει δὲ ἐδίδοσαν τοῖς νεοτέροις τῶν καλουμένων συγκαθέδροι. Horum alii Paredri jure Attico constituti Archontibus dabantur; *alios Archon* viribus suis diffisus sponte inconsilium adhibebat, quos pro Arbitrio denuo removebat. Ob hanc Assessorum rejectionem Theagenes Areopagiticus à Demosthene celebratur: Demoſt. in Orat. contra Nearam. γὰρ τὸν πάππον ἐξαπατήσαντα αὐτὸν, τοῦτον ἀπελαύνει ὑπὸ τῆς συνέδρου. *Et Stephanum* [*Assessorem*] *à quo deceptus fuerat, consessu movet.*

VI. Respublica Romana *bonis avibus*, sed rapacibus stabilita est; cu-

jus prima fundamenta in *fratricidio* jacta fuere. Romulus in illâ ſpeluncâ, ubi Cacus olim cum ſuis ſequacibus delituit, hominum ad tria millia *deperditæ famæ & incerti laris in* unũ coegit: ex quorum colluvie exercitum potiùs quàm Rempublicam efformavit; qui loca circumvicina *Aquilinis unguibus* corripuit & nihil non armis arrogavit. Tota enim juventus, à primâ pubertate uſque ad extremam ſenectutem, armorum ſtudio omnes nervos intendebat; ita ut nemo literarum cultum in pretio haberet, niſi qui *veteranus* jam factus à *militiæ Sacramento* ſolutus eſſet, vel *Senator depontaneus*, uti Cato olim, qui in ultimo vitæ curriculo Abecedarium ſe in *Græcâ literaturâ* fieri gloriabatur. Quare *ex veteri Jure* conſtat (quod uſque ad Juſtiniani tempora obtinuit) ut *Tribuni militum*, *Centuriones*, aliique militiæ præpoſiti, omnes dignitatis gradus aſcenderent; eoſdemque

demque *ordinarios Judices*, à quibus *virtutem & innocentiam* tantùm exigebant, reſpublica facile patiebatur. Quin & Ciceronis ætate Antonius *legem* tulit *Judiciariam*, ut tertia Judicum centuria fieret è *Centurionibus, Anteſignanis, Alaudis, Manipularibus*. Proximè à militibus opibus potentes ad hoc munus promovebantur: Romæ enim in Judicis cooptatione (teſte *Plinio*) Cenſuum major habebatur ratio, quam in Jure peritiæ. Inde eſt quod *Gellius* admodum adoleſcens, cum præceptorum ferulis vix manus ſubduxerat, in Judicum numerum allectus eſt; qui in tantâ Juris ignorantiâ (ipſo fatente) verſabatur, ut aptior videretur *Syllæ conſilium dare, ut altum dormiret*, quàm Judicis officium præſtare. Rurſus Ovidius ipſe, à Juris ſtudio alieniſſimus, in Centumviralibus Comi-

Cicero Phil. lib. 1. & 5.

Plin. l. 14. c. 1.

Gell. l. 14. c. 2.

v. Hottom. Quæſt. Illuſt. 27. l. 3. p. 205. l. de Poeto.

tiis se consedisse gloriatur:

Utque fui solitus, sedissem forsitan unus
De centum Judex in tua verba viris.

Cic. l. 1. de Orat. Ubi Judices de *Tutelis*, *Alluvionibus*, *Nexis*, *Testamentis*, *Stillicidiis*, cæterisque id genus controversiis disceptârunt. Aliquando Judices *in quæstionem facti* ex fæce plebis (quos *Recuperatores* vocitant) Prætor sumebat. In hoc veteri errore Respublica nostra adhuc versatur, quæ populari licentia nimium tribuens 12. *jurata ignorantiæ*, *& inescati ingenii viros* ab Aratro petit, quos non tam *vitæ*, *ac necis*, quàm omnium causarum *supremum Judicem* constituit. Postquam enim Advocati lites *hinc indè* conseruerunt, taléque *Decipulas & insidias* à quibus prudentes vix sibi cavent struxerunt; Audent isti è glebâ nati *nodos cum ligone* solvere, totamque *litigii messem cum falce resecare*. At Recupera-

peratores nostri à Romanis in hoc differunt, quod hi, cum Juris peritiam non profiterentur, à Juris consultis tamen consilium exquirerent, quorum responsa, scripta & obsignata, magnam auctoritatem penès illos pariebant; illi verò sordibus corupti non solum ab Advocatorum, sed Judicum sententiâ omninò discedere soleant.

VII. Uti Archontes Athenienſium Paredros quosdam, qui Jus suggererent, solenni quodam *examine seu δοκιμασίᾳ præeunte*, sibi adjunxerunt; ita Magistratus Romani *Assessores suos*, (hos Modestinus συνεδρους nominat) quorum *periculo & suggestione* jus dicerent, assumpserunt. At Attici majorem autoritatem Paredris suis, quam Romani Assessoribus concesserunt. Illis enim dabatur ἐφ' ὅλῳ δοκιμάζειν universum Archontis jus administrare, sive ἀζημίους multando, sive κερδέας

v. Aristot. apud Harpocrat. in voce Archon.

Herald. de rer. Jud. Ant. l. 1. c. 8. p. 116.

i. e. *Apparitores*, jubendo. At Assessoribus Romanis non licuit (absente Magistratu) vel libellos subsignare, vel causas cognoscere. Hujus enim privatâ authoritate suffecti consiliorum participes sociabantur, donec Pescennius Niger (auctore Spartiano) decretũ tulit, ut Assessores de *publico ærario* stipendia mererent; quod Severi, Diocletiani, & Maximiani Sanctionibus postea comprobatum est. Nec tantum rerum omnium & Juris inexperti Assessores sumebant, sed *Papinianus ipse* (vir extra omnem ingenii aleam positus, & Prætorii Præfectus) *Paulum* & *Ulpianum* in consilium adhibuit. Hoc tantum interest, si Magistratus legum scientiam præ se ferret, *sententia* contra sacras Constitutiones ab eo lata non Assessorum *imprudentiæ*, sed ejus *dolo* imputata: Sin verò *militiam* potius quàm

l. 2. l. 13. C. de Adss.

Spartian. p. 76.

v. Notas Salmas. p. 151.

Nov. 82.

v. Spart. loco laud.

quàm *scientiam Furis* profiteretur, *sententia* ab eo, contra *jus & æquum*, dicta Assessorum fraudi tributa est; quippe qui ἰμπειρίαν τ πάλαι ὑπηρύοντος in Jure lapsantes meritò pœnas luerent. Indè est quod Romani legem tulerunt, ut Proconsules unà cum Assessoribus per *quinquaginta dies* ad *rationem reddendam* in eâdem provinciâ residerẽt. *l. 3. C. de Adf. & c. domest.*

VIII. Si quis peritiam *artis in ullo genere* publicè pollicetur, præ suâ tamen imperitiâ Conductorem, cui operam locavit, fallit, vel *publici Impostoris* personam agit; Hujus imperitia (ex Gaii sententiâ) culpæ adnumeratur: veluti, si Medicus servum imperitè secuerit, vel medicamento perperàm usus fuerit; uti culpâ non vacat, ita mercede caret. Idem cernitur in Adsessore, qui consilia Magistratui vendere solet; si aliquid contra sacras Constitutiones suggessisset, ipsi nocebat. *Jacob. Gothof. ed. Reg. Furis. p. 554. l. 7. ad Edict. Provincial. p. 132.*

Η' ϗ κακὴ ϛυλὴ τῆ βελεύσαντι κακίαν.

Magistratui enim *nullo pacto* imputatur, cùm ipse Adsessoris animum assequi *de Jure* teneatur. Notissima est Historia quam de Alipio Jureconsulto refert Augustinus; cum illum potentissimus Senator, cui assidebat, partim munusculis palpatum, partim minis perterrefactum ab æquitatis tramite deducere eniteretur, Ipse tamen *recti tenax*, hisce corruptelis fortiter restitit, & à Magistratus sententiâ (tam absoluta tunc Adsessoris auctoritas erituit) nequicquàm reluctantis discessit.

Quem Consulae apud Herald. de Rer. Judic. aut. p. 112.

IX. *Veteri Jure* (ut supra innuimus) militares homines *majoris Judicis* munia præstitêre, eo tamen pacto, ut *consilium* à Juris consultis expeterent, quorum *Responsa* tantam auctoritatem apud Judices creârunt, ut ab illis recedere nunquam liceret. At *Jure novo* (i. e. post No-

l. 2. D. de Orig. Juris.

Novellas) Justinianus in Judice, ad *decisionem controversiarum deputato*, magnâ Juris peritiam requirebat; nec aliundè eos *judicandi honestatem emendicare* permittebat.

v. Nov. 82. in prin. *Hottoman. Quæst. Illust. 27. p. 204.*

Quid enim indignius tam sacro munere videtur, quâ ut Judex, tanquam *Automaton quoddam forense* alienis auribus oculisque omnia perzenseat, non dissimilis *Memnoniæ statuæ, quæ---*

Bachov. Disp. xii de Judic. Thes. 7. tit. D.

Ducitur ut nervis alienis mobile lignum?

Uti navis ab alienis ramis impellitur, & *Naucleri consilio* gubernatur, ita imperiti Judicis animus inter *Decipulas* (quas advocati hinc indè struunt) in incerto hæret; donec Assessoris (tanquam *Jovis Statoris*) prudentiâ ad anchoram stare cogitur. A cujus latere si hanc *assistentem animam* divellas, *exanime*

Cujac. ad Nov. 82. obs. l. 23. c. ult. *Donell. l. 17. Com. c. 24.*

prorsus justitiæ corpus in Tribunali sedet, à quo non aliud expectes, præter *injustitiam, & animi pertinaciam*; juxta illud Terentii, *Homine imperito nunquam quicquã injustius, Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.* Porrò ἀναλφάβητος Judex sententiam ex *parriculo* recitare nequit; multò minus legum *subtilitates* venari, testesque per ambages interrogare: quæ duo munera Judici virtute officii incumbunt.

Rhiter. part. 9. r. vi. par. 70. ad Jus Justin.

v. Hottom. loco laud.

X. Nulla pestis in Republicâ magis grassatur, quàm ἀπειροκαλία in *illâ arte* quam *quis* publicè profitetur; nihilque magis civibus deplorandum, quàm quod juvenes ad studia ingeniis suis contraria (& invitâ, ut aiunt, Minervâ) publicâ quâdam necessitate adigantur; nil deniq; magis Reipublicæ grave est, quàm ut *nullo habito personarum delectu* viri rerum inexperti publica munia exercere audeant. Quid iniquius,

quius quàm ut imbellis Togatorum turba inter Legiones conscribatur, vel Legiones in Justitiæ Thoro, quod ferro invaserunt, armatæ consideant; ubi non aliud Jus Cives expectent, præter illud districti gladii? Hæc signa sunt Reipublicæ *præ studio partium* jam jam vacillantis, & ultimam penè ruinam minitantis. *Lampr. in vitâ Alex. Severi.* Non possum quin Alexandri Severi verba *Cedro digna* hîc adnotem: *Hos esse promovendos, qui per se rempublicam gerere possint, non per Adsessores*; addito, *Militares suas habere administrationes, habere & Literatos*; *& idcò unumquemque agere debere, quod nosset.* Summi magistratus officium est unumquemque Civium cogere (licet ad diversa studia currant) ad inserviendum variis. Rempublicam administrandi muniis; ita, ut omnia *membra Corporis Politici*, (non aliter quàm illa naturalis) mutuo fœdere inter se juncta *in salutem publicam* conspirent.

ſpirent. Inter artes quibus reſpublica adornatur, Aliæ ſunt Mechanicæ, quæ licèt ultra crepidam non ſapiant, publicæ tamen neceſſitati ſubſerviunt: Aliæ magis ingenuæ & imperatrices, quæ coadunatis viribus totam imperii molem ſubigunt, agitantque. Hæ ſunt imperii *Tutelares* & à victis urbibus *evocatæ Deæ*, quæ Civium animos inter ſe devinciunt, & in pace conſopitos tenent; Ut, licèt diverſis ſtudiis diſtrahantur, omnium tamen *una mens* appareat, quæ *ratio ſtatus* vulgò exiſtimatur. Nulla gens tam Barbara unquam floruit, quæ *togatis* aliiſque literarum cultoribus (cum inter omnes unica conſervanda pacis pignora extiterint) imperium ultrò non detulit. Quanto honore Ebræi, Græci, & Romani *Furis peritos* proſequuti fuere, notum eſt *lippis ac Tonſoribus*. Quin & *Saraceni* (qui *tale* à latrocinandi licentiâ *cognomentum* adepti ſunt, ut pleriſque doctis hactenus

tenus placuit, à quibus tamen Cl. Pocockius haud immeritò dissentit, à شرق Orientem denotante nomẽ deducens) in primis Islamismi temporibus, & sub imperio الامويين *Ommiadarum*, tũ Juris prudentiæ, tum Medicinæ se emancipârunt. Kadi Saëd Biographus, in vitâ Almamonis septimi Abbasidarum Chalifæ, verba facit, quæ Latinè sic sonant: *Sub initio Islamismi non aliis incubuere studiis Arabes quàm linguæ suæ, & juris peritiæ, exceptâ Medicina gratiam illi conciliante necessitate.* Cæteræ verò artes sub Almansore inclarescere cœperunt. At sub Chalifatu Almamonis, qui ad invidiam usq; literarum studium promovebat, ad summum fastigiũ pervenerunt; adeo ut Arabes in omni literarũ genere cum Græcis certare poterãt. Hinc fertur Takiddinus quidam, zelo erga Mohammedanam religionem accensus, Al-

v. Notas Clar. Pocockii de morib. Arab. p. 34. & 165. 166.

Almamamonis caput diris devoviſſe, quaſi Philoſophici ſtudii ardor Mohâmedanorum pietatem interpellaret. Eandem cantilenam occinunt hujus ætatis fanatici, qui Academias, tanquam impietatis Aſyla, in Cineres redigere magnopere contendunt. Caveant illi, ni eodem ſtudio, quo literas ferro & flammis proſequuntur, ſocietatis humanæ vinculum diſſolvere properent. Ob oculos ponant fatalem *Moſtaaſemi* exitum, qui ſingulari in literatos odio exardens, tum regno ſuo tum familiæ Abbaſidarum ultimum periodum accivit. Nam cum Naſſir Eddinus Ettuſæus, vir (teſte Abulpharagio) ſummæ eruditionis, officii teſtandi gratiâ librum Chaliſæ obtuliſſet; Ille verò eruditũ virum riſu exceptum, contumelioſis verbis inſectatus eſſet, librumque in fruſta dilaniâſſet: hujus facti

v. Seph. Schol. Tograï apud Cl. Pocock. Spec. hiſt. Arab. p. 166.

v. Collegam noſtrum Joban. Gravium ἐν μαχαιρίῳ in proœm. in

facti indignatione Naſſir Eddinus gravitèr commotus ad Holácum Tatarorum principem rectè contendebat, eiq; auctor erat, ut Moſtaaſemo bellum indiceret, cujus belli exitus Moſtaaſemo funeſtus fuit. Ipſe enim cum quatuor filiis (copiis fuſis fugatiſque) in Babylonia Metropoli captus interficitur, interim Naſſir Eddinus ad magnos honores in imperio Mogulenſi evectus eſt, & in urbe Marága otio literario conſeneſcens extremum diem clauſit.

Tabb. Naſſir Eddin. p. 6. Schik. in procem Tarich. Perſ.

AN

AN

JUDEX DEBEAT, SECUNDUM ACTA ET PROBATA JUDICARE, An verò secundùm Conscientiam?

CAP. Consp.

Par. I. *Judex sui rationem reddit tam in foro interno seu* דיני שמים *quam externo seu* דיני אדם *Judicio humano. Quatuor delictorum genera, ex sententiâ Gemaristarum, in futuro seculo judicantur. Vicissitudo rerum humanarum leges mutilas & sibi parùm Cohærentes parturit. Ratio ex Judicis pectore deprompta tortuosas leges corrigere, perplexas explicare, imperfectas supplere solet.*

II. *Judices Ebræorum literali præceptorum sensui adhærebant. Sententia contra legem Mosaicam lata ex Magistrorum mente irrita habetur. Reus injustâ Judicis sententiâ damnatus à pœnis non ex-*

eximitur. Susanna falsâ testium suggillatione adulterii rea peragitur. In causis Capitalibus testimonia duorum requirebantur; at in pecuniariis testis unicus sufficiebat, si Pars principalis ad Juramentum adigeretur. Adagium Drusianum de Tobiâ & Zigod explicatur. Falsi Testimonii pœna inter Ebræos delineatur.

III. Quantum interfit inter leges Mosaicas & Græcas. Legislatores Gentium prudenter sibi Caverunt, ut justitiæ Ministri in verba sua jurarent. Atheniensium Heliastæ jurejurando se obstrinxerunt secundùm populi scita sententiam ferre. Quænam erant Tabulæ κατὰ συνωμοσίαν apud Atticos plurium testimoniis subsignatæ? Testimonium κατὰ πεντηκοντὰς explicatur. Quinam habentur testes οἱ ἀπὸ πεντημάτου ἑστηκότες?

IV. Dica κακοτεχνιῶν contra testium cōductores in foro Attico scribebatur. Quantum differat à Stellionatûs

natus crimine inter Romanos? Ejus definitio ex Ulpiano traditur. Ἐξαγγελία Græcorũ cum Stellionatu per omnia quadrat. Tria genera κακοτεχνίας ex Harpocratione recensentur. Testimonia malis artibus conquisita ipsis Conductoribus nocebant.

V. Dabatur Actio ψευδομαρτυρίων contra falsos testes. Quantum inter se differant μαρτυρία & ἐπιμαρτυρία. Testimonium de Auditu in foro Atticorarò admittebatur. Tres tãtum Casus excipiuntur; sc. Testes ἐξ ἀποδημίας, ἀποδημοῦντος, ἀδιαθέτου. Pœna λειποψευδομαρτυρίας taxatur. Mos Antiquus de Testimonii desertore ex XII. Tabb. explicatur. Falsi Testimonii pœna ex Gellio asseritur. Qui αὐτοκρατόρων testationem præbuerunt Actioni ψευδομαρτυρίων non erant obnoxii. Testes ἐν χρηματείῳ fidem oppignorabant se ad damnum, si Judices fefellissent, resarciendum.

VI. Testationes scripto consignatæ plu-

pluris fiebant, quam teſtes. Tabb. Signatores injurati ante Tribunal ſtabant. Teſtes ſolenni quodam juramento obſtricti teſtimonium dicebant. In crimine læſæ Majeſtatis, aut perjurii, ad Aras Juramentum concipiebant, Diriſque caput devovebant. Veritatem ab homuncionibus incerti laris per tormenta exquirebant. Quid Loculpes teſtis apud Romanos? In pangendis contractibus morem tangendi Auriculas inter veteres inoleviſſe ex Scholiaſte Horatii aſſeritur. Idem mos inter mercatores Armenos & Ebræos in Oriente adhuc viget. Unde fluxit ritus perjurorum aures amputandi? Totius paragraphi Epinomis.

VII. *Hæc ſinuoſa quæſtio à Gellio olim Phavorino diſcutienda proponebatur. Gellius de tribunali diſceſſit ne ἀπορίας vel læſæ conſcientiæ reus perageretur. Legiſlatores Romani Judices ſententiam edere legibus conformem jure jurando ob-*

obſtrinxerunt. Sententia contra juris ordinarii Solennitates prolata nulla habebatur. Qui privatam ſcientiam præ inſtrumentorum fide elevat, non tam Judicis quam Teſtis partes agit. Salubre conſilium Bononienſium laudatur. Africanus poſterior contra proprium judicium C. Licinium cenſoriam notam lucrifacere permiſit.

VIII. *In foro interno uniuſcujuſq; conſcientia pro Tribunali ſedet. Judices in foro externo (tanquam indomiti equi excuſſo fræno) affectuum licentiæ & ſtudio Partium nimium indulgent. Conſcientiæ patroni quinque rationes adducunt quibus partes ſuas tueri conantur, quibus Legiſtæ tot reſponſiones adaptârunt.*

IX. *Pontificis Romani Dictata à ſuis Symmyſtis inſtar Oraculorum excipiuntur. Papicolæ Conſcientiam tanquam ſuperſtitioſi hominis terriculamenta damnant. Quatuor Regulæ proponuntur, qui-*

quibus Conscientia dirigatur ad perplexos Juris nodos dissolvendos. Principi licet ex privatâ scientiâ, i.e. absq; omni Juris solennitate, læsæ Majestatis reos neci tradere.

X. *Ad scrupulos è Conscientiâ tollendos magni refert omnes Actionum circumstantias minutatim excutere. Ebræorum mira sagacitas in Testimoniis exquirendis laudatur. Variæ Quæstiones in foro Ebraico testibus ad veritatem eliciendâ proponebantur. Testium probatio per* הכחשה *seu contradictionem, qualis fuerit inter Ebræos? Quales Testes* הזמה *seu mendacii, Evictione tenebantur.*

XI. *Judices Attici & Romani sententiam ex æquo & bono pronuntiare tenebantur. Species Actionis Demiphontis contra Phormionem ex Comœdia Terentii Palliatâ recensetur. Solon legem tulit ut genere proximi virgines* ἐπικλήρους *aut ducerent aut dotarent. Attica lex Judicium de eadem re bis reddi pro-*

prohibet. Adolescētes XVII. *annos nati sui Juris in foro Attico prænūtiabantur. Sententia Phormionis ex mero Jure rescindi non poterat. Æquitas causa Demiphontis patrocinatur. Jus publicum ad tres Minas taxavit Virginum Dotes. Judex, à quo non fiat provocatio, ex religione sententiam proferre debet. Inferior, depositō Judicis officio, testis personam induit. Regulæ à Judice in Criminalibus tenendæ proponuntur.*

CAP. VII.

JUdex, licet in terris superiorem non agnoscit, propriæ tamen Conscientiæ flagellis, ut plurimùm subjicitur; & in foro Animæ (ubi regnat Erynnis, aliæque ultrices Deæ) injustitiæ pœnas luit. Jus Ebræorum Civile, multos *humanos casus*, (quos מריני אדם *Judicio humano* eximit) ad *forum internum* seu

seu דיני שמים *Judicium cœleſte* refert. In horum Cenſu Gemariſtæ quatuor tantum delictorum genera numerant. ואילו הן הפורץ גדר בפני בהמת חבירו והכופף קמתו של חבירו בפני הרליקה וחיובר עיזים שקר להעיד והיורע עדות להבירו ואינו מעודי. *Iſti ſunt*, I. *Qui effringit ſepem in conſpectu pecoris proximi ſui.* II. *Qui incurvat metam proximi ſui ad Incendium.* III. *Qui mercede conducit teſtes falſos ad teſtandum.* IV. *Qui ſolus teſtimonium novit pro proximo ſuo, nec ipſi tamen teſtimonium perhibet.* At verò in hujuſmodi facinoroſos leges tum *Græcæ* tum *Romanæ* ſeverè admodum animadverterunt. Quippe quod omnium ferè Gentium Legiſlatores (Ebræis tantùm exceptis) injuriarum pœnas ſibi reſervârunt, cæteraſque actiones humanas ad certas prudentiæ regulas red-

Cod. Macc. c. 6. S. 4. ad Illum Gemara. f. 55. p. 2. v. L. Emper. p. 127. aa Tit. Maccoth.

redegerunt, per quas Judices tanquam Lydium lapidem *Æquum ab iniquo* secernerēt. At cùm densa Caligo humanæ mentis aciem offuscet; Cúmque res humanæ *(rotâ in orbem quotidie recurrente)* vicissitudines parturiant, necesse est leges sibi parùm constantes crebris lacunis fatiscere, Judicesque ob verborum Ænigmata, quibus *leges* investiuntur, à *Legislatoris mente* ut plurimùm recedere. Adde quòd *forenses lites* per tot verborum ambages rerumq; Mæandros *Advocatorum consutis* dolis circumvolutæ Judicis os obliniunt, ita ut cogatur *lege* tanquam *Lesbiâ regulâ* abuti, vel ex proprio pectore quicquid *recta ratio* dictat liberè expromere, sive ad *interpretandas*, sive *corrigendas*, *sive supplendas leges*. Hinc etiam maximè incumbit sagaci animo attendere, ne Testium, vel Instrumentorum fides, aliquot Juris Apiculis vacillans, sibi subtesta appareat. In quo casu quæstio subnascitur, de quâ Joannes & Martinus

Martinus acriter inter se contendunt, *An liberum sit Judici, spretâ Testium & Instrumentorum auctoritate, animi sui sententiam sequi?* Alter ait, alter verò negat; sed quid à nobis statuminandum in seqq. patebit.

II. Ut Joannis partes primò agamus, asserendum est omnes per æquè gentes leges suas Hottom. Prudentum ministerio Quæst. Illust. concredidisse; à quarum *præscriptis verbis* ne latum quidem unguem recedere fas ducebatur. Nôrunt Eruditi quot sepibus Mosaicam legem Masorethæ Ebræorum Critici munierunt; qui eâdem religione voculas & literarum apices censuerunt, quâ Illorum Hotting. Jus Judices דברי התורה in Heb. l. 2. c. 7. *Judicio legis* literalē præceptorum sensum משפט sequebantur. A quo si quis discedere ausus fuit, magnam *Iniquitatem*, Levit. c. 19. v. 15. vel (ut cum Chaldæo Paraphraste loquar) שקר *Falsitatem*

in Judicio commississe dicitur. In hunc sensum Ebræorum interpretes עיל בדין explicant,

v. Rab. apud Hotting. Juris Heb. l. 242. p. 362.

העול יהיה בכל שיעבור על מה שצוהו לנו התורה בענין הדין אלא אם כן עשה ברצון בעלי הדין *Iniquitas autem est quotiescunq; Judex id, cujus mandatum habemus in lege, in causa Judicii transgressus fuerit, ipsarumq; partium litigantium nutui se accommodarit.* Neque error Juris in Judice falsitatem tantùm arguit, sed sententiam contra legem latam irritam reddit.

Herald. de Auctor. rer. Jurid. l. 1. c. 4. l. 5. 7. l. 2. & ult. c. Si ex falsi. instr. v. Hotting. loc. laud.

Juriſconſulti Ebræorum eandem cantilenam cum Romanis occinunt: כל הטועה בדין במה שהדה רפך כוונת התורה בלי ספק דינו בטל לגמרי והוא כאלו לא יאמר *Qui erraverit in Judicio, adeo ut intentionem legis pervertat, judicium ejus absq; dubio habetur irritum, & quasi nunquam esset dictum.* Imò ob hujusmodi

Irrquitas

ἀφιέναι Judex Capitalem pœnam quandóque meritus est, quandóque rem judicatam in integrum restituere tenebatur. Reus tamen hujus sententiâ, injustâ licèt, damnatus à supplicio non redimebatur, sed eandem forsan cum Judice pœnam subibat. In tantum erant Ebræi patrii Juris tenaces, ut licet testes מוכחשים *falsi* planè arguerentur, aut זוממין *incongrui* deprehenderentur, eorum tamen testimoniis innocens in Quæstionem adductus facilè opprimeretur. Testor castam Susannam adulterii ram testium suggillatione peractam; & Salvatorem ipsum qui falsis criminationibus proditionis & læsæ majestatis accusatus sententiam mortis passus est: quem licet Pilatus ipse χωνῇ (ut aiunt) ἀκαλῇ professus est falsis testimoniis obrui, maluit tamen consueto fori processui adhærescens secundùm *Acta & probata* pronuntiare, quam illum, quem propriæ conscientiæ

morsus innocentem dictârit à pœnis liberare. Nam Lex Ebræorum Judiciaria hanc regulam distertè tradit. על פי שנים עדים או שלושה עדים יומת המת *Ex ore duorum, aut trium testium* (versio Syriaca *duorũ* tantùm meminit) *interficietur, qui mori meretur:* Quam *in causis tantùm capitalibus* observari video, cùm in pecuniariis, illisque quæ spectant ad Idololatriam vel adulterium, *testimonium* unius hominis עדות מוחרת admitti solebat; præsertim, si is in quem dicit, ad juramentum pro more fori Romani adigatur. Hinc effatum Rabbinicum, עד אחד שהעיד בחבירו עון דבר שאינו ראוי להשביעו לא יעיד עליו *Testis unicus, si proximum crimen commississe noverit, si id ad juramentum non obstringat reum, ne proferat.* Sin verò solus testimonium dicere audacter procedit, ex sententia fori loris concidi ju-

Deut. 17. 6. Cod. Macoth. c. 1. par. 7. v. Notas Coccei ad loc. cit. v. Bibl. Angl. Deut. 17. 6.

Maim. Hal. Eduth. c. 5.

jubetur. Qui mos occasionem dedit Adagio, quod inter Drusima jam occurrit. טוביה חטא וזיגוד עמד *Tobias peccavit, & Zigod vapulabit*, eò quòd solus contra Tobiam ante R. Papæ Tribunal testimonium proferre ausus est, à quo instar Calumniatoris flagris cæsus mulctabatur. Ubi tamen testium numerus, quem lex præscribit, ad testimonium ferendum adstabant: ibi Judex contra propriæ rationis dictamen illorum fidem (tallacem licet) sequi, sententiámque secundùm Allegata pronunciare tenetur. Sin verò *falsi testimonii* planè arguantur, ex lege *Talionis* aut *mactantur*, aut *vapulant*, aut *solvunt* damni resarcendi gratiâ modò *duplum*, modò *triplum*, aut *quadruplum*, ut Maimonides scriptis mandavit.

Drus. Adag. Ebr. Dec. 5 ad. 2. v. Notas Cocc. loc. laud.

Deut. 19. 19. Baba Kama. Cod. 1. Cap. 7. par. 3. v. Annot. L'Empereur p. 151. Macc. c. 1. par. 7. v. Annot. Cocc. p. 100. Maim. Hal. Eduth. c. 20.

III. At dices, Leges Mosaicas

(utpote ex ore Dei Opt. Max. exceptas) perſpicuas & omnibus numeris abſolutas extitiſſe, omnéſque Juris formulas Judiciarias ſecundùm præſcriptum divinum inſtitui, adeò ut non habeat Judex quod addat, quas leges corrigat, aut interpretetur. At Gentium Legiſlatores tantam mentis cæcitatem & confuſionem in legibus ferendis ubique prodiderunt, ut in earum dilucidatione non tam Interprete opus ſit, quàm *Aruſpice* nobis. Nihilominus Legiſlativa cujuſlibet ferè reipublicæ potestas prudenter ſibi cavit, ut Judices Juramenti Sacramento adſtricti *ſtrictum Jus* (ſive æquum ſive iniquum videatur) omninò obſervarent. Indè eſt quod Heliaſtæ qui ſupremo Athenienſium Tribunali præſidebant, Juramentum in hanc formulam concipiebant

v. ὅρκος Ἡλιαστῶν apud Demoſth. ἐν τῷ κατὰ Τιμοκρ. p. 510. Edit. Baſil.

Ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους, καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων

ψηφίσματα τῶν τριακοσίων. *Sententiam ferunt secundùm leges, & populi Athenienſium ſcita, & Quingentorum Senatus conſulta.* Præſertim ſi pſephiſmata iſta erant ſancita ante adventum triginta Tyrannorum. Quam ob cauſam vetus Scholiaſtes iſta τὰ παλαιὰ, τὰ νομοθέτητα ἤδη καλὰ nominat. Nec tantùm legum *præſcripta*, ſed lubricam (ut plurimùm) teſtium fidem ſequi Athenienſium Judices coacti fuere. Nôrunt Juris vetuſtioris periti quot occaſiones Judicum religioni imponendi teſtes in foro Attico arripiebant. Erant alii, qui ſponte ſuâ, i.e. ἀ χρὴ παρέχλαν teſtimonium perhibebant, quorum μαρτυρία (ſic loqui amant Attici) ἐκ γραμματίου κεκαμμένου (cujus loco Salmaſius ſubſtituit λελαδκωμένου) *Teſtationes in dealbatâ tabulâ inſcriberentur*, quas proprio ſigillo ſubſignatas, ne fraus ſubeſſet, *præco* ex libello

Petit. Comment. in Leg. Attic. p. 310. v. Ulpian. ad locum.

v. Petit. Comm. in Leg. Attic. p. 540. Demoſt. contra Steph. de falſo Teſtim. 1.

palàm recitabat; cui *Albo* aliquid addere, aut detrahere, vel immutare nefas habebatur. Ita enim lege cautum est, ἵνα μήτ' ἀφελεῖν ἐξῇ μηδὲν, μήτε προσθεῖναι τοῖς γεγραμμένοις. Erant alii qui οἱ τὰς παρακλήσεις μαρτυροῦντες, *quibus testimonium lege denuntiabatur*. Alii, οἱ ἐπὶ ταύτῃσι προσκάλεσις, *quos casus in re præsenti dabat*. Quæ duo testium genera testationes suas κηρῶν, i.e. *ceratis tabulis* ex industria committebant, ut si quid ex eo *mutare additione vel detractione* ipsis collibitum esset, liceret. At in hisce instrumentis, quot ψευδογράμματα, πανουργήματα, σοφίσματα, quibus Judicis animus illaquearetur, in foro Attico grassabantur, Demosthenes non semel memoriæ prodidit. In quo sententiæ supra falsis testimoniis dictæ (quod Atticis tantùm peculiare fuit) rescindi non poterant.

Herald. de rer. Judic. auct. Demost. contra Steph. de falso testimonio. Sal. obser. ad jus Attic. & Rom. p. 822. Herald. Animad. ad Jus &c. p. 464. Demosth. contra Euerg. & Mnesibul.

IV. Attamen duplex inde nascebatur

ſcebatur *actio*, una κακοτεχνιῶν, quando quis contra adverſarium, qui aut falſa teſtimonia conſignâſſet, aut ſubornatis probationibus uſus eſſet, *Dicam* ſcriberet. Hanc vir doctus ad crimen ſtellionatus perperam referre conatur, cùm iſte inter Romanos πᾶν ἄδικον ἀδίκημα Omne Maleficii & Colluſionis genus (teſte Ulpiano) complectatur, cui nulla accuſatio in foro Attico recepta magis reſpondet, quàm εἰσαγγελία: eam *Græci* ſic explicant, οὐκ ὧν ἂν οἱ νόμοι, ἀλλ' ἃ ἀδίκων ἁλίσκῃ, εἰσαγγελία δίδοται κατ' αὐτῶν. At Libellus κακοτεχνίας ad falſas tantum teſtationes ab Harpocratione reſtringitur; quarum tria genera recenſet Demoſthenes. I. εἴ τις μάρτυρας τοὺς τὰ ψεύδη μαρτυροῦντας ἐδεήθησαν. *Si quis Teſtes pro teſtimonio falſum dicentes adhibuerit.* II. ἢ προκλήσεις μὴ γενομένας, *aut denuntiationes non factas.* III. ἢ μαρτυρίαν ἐδωκε τὸν νόμον μα-

Pollux l. 8. c. 6.

Salm. ad Jus Attic. &c. p. 293. 341.

In oratione contra Euerg. & Mneſibul.

μαρτυρίους, *aut testimonia produxisset contra leges data.* At qui falsos testes sive in hoc, sive in illo genere malis artibus conquisitos produxerit, tantum abest, ut ex hujusmodi fallaciis quidquam (teste Contra Euerg. Demosth.) αὐτῷ πλέον γίνηται, (aut Paulo Interprete) *doli pramium ferat*, ut pœnam legibus definitam, multámque rei judicatæ æqualem parti læsæ solvere cogeretur.

l. 31. in princ. de recep.

V. Datur altera Actio ψευδομαρτυριῶν contra testes, sive simpliciter μαρτυροῦντες extitere (qui rebus gestis interfuisse testantur) sive ἐψευμαρτυρηκότες ὅταν τις φῇ τῷ ἰδιώτῃ ἀκοῦσαι λέγειν. *Quando quis ab eo qui rem gestam oculis usurpásset, exaudiisse narret.* At dicas forsan cum Demosthene leges Atticas ἐψευμαρτυρίαν, seu *testimonium ex auditione*, εἶτ' ἐπὶ τῶν φαύλων πάνυ ἐγκαίρως, *nec in causis minimi momenti admisisse.* Hoc verum esse non diffitemur, nisi testes oculatos in Jus

l. 8. c. 7.

duci

duci impossibile videatur; quo casu posito lex Attica libertatem cuivis concessit, I. ἀκοὴν τῆς μαρτυρίας τεθνεῶτος *de re à mortuo acceptâ testimonium adferre.* II. Ἐκμαρτυρίαν ἀποδοῦναι, seu ἀποδημοῦντος, Cùm quis extra fines terræ Atticæ peregrè profectus esset. III. Si testatio τῆς ἀδυναμίας vel ἀδυνατοῦντος (auctore Isæo) in judicium proferretur, i. e. cùm quis morbo sontico esset impeditus, & quasi κατάκλινης, lecto adeò affixus ut coram Judice sisti nequiret. Extra hos casus ἀκολουθεῖ τῷ ζῶντος μαρτυρίᾳ *Eorum ex auditu qui in urbe liberè degunt*, testimonium ferre Lex Attica omnino prohibet. Quin & contra Cives Atticos κακομαρτυρίας dicam conscribere solebant; si testationem facere coram Judice recusâssent, unam drachmam à legitimè damnatis *pœnæ nomine* erogabant. Sin verò in Jus vocati *testimonium dare aut ejurare nollent*,

Herald. Animad. p. 463. De rer. Judic. Auct. l. 1. c. 4.

Salmas. observ. ad jus &c. p. 824.

v. Petit. Comment. &c. p. 357.

nollent, mille drachmas publico ærario deponere tenebantur. Porrò ante ejus ostium tertiis diebus *cum pipulo & convitio* de eo tanquam testimonii desertore conqueri licuit: quo spectant verba legis *Ob portum obvagulatũ itor*. Jam si Testis, qui testimonium defugeret, tam gravi mulctâ puniretur, quid fieri putas de iis, qui collusionibus & suppositiis instrumentis Judicem à Justitiæ tramite deducerent. Certè Athenienses in falsos testes (tanquam injustitiæ fomites) severè admodum animadverterunt: nam *alios* solum vertere, vel in insulas deportari coegerunt: aliósque juxta pœnam à *lege Corneliâ* irrogatam ultimo supplicio affecerunt. Hujus severitatis exempla in vetustissimo Romanorum Jure *apud Gellium* legimus; *quo jure* falsi testimonii convictos de Tarpeiâ rupe dejiciebant. At *notandum* est, de testibus quos Lex ἐν τῷ γραμματίῳ μαρτυρῶν jubebat tales pœnas tantùm

ùm ſumi: Illi verò qui *interrogandi* ſe in judicio ſiſtebant, & teſtimonium αὐτοπροσώπως præbuerunt, *Actioni* ψευδομαρτυρίων non erant obnoxii. ἀλλὰ ἡ (inquit Ulpianus) διαρρεγὴ μαρτυρία, καὶ μόρτυρες. ὁ μὲν γὰρ μάρτυς αὐτοπροσώπως ἴδιαιν ἁμαρτάνει, καὶ ἀπὸν ἀπόδικος. ὁ δὲ διὰ γραμματείων παρεχόμενος ἑαυτὸν ἀπόδικον τῇ καταμαρτυρηθέντι, καὶ εἰς ὃν ἅπαν πάντα χρόνον.

Ulpian. in Demoſt. Orat. περὶ παραπρεσβείας Salmaſ. Obſerv. ad Jus Attic. &c. p. 780. Petit. loc. laud. Demoſthen. in Orat. laud.

Hujus diſcriminis rationem reddit Demoſthenes. Quoniam (inquit) qui teſtimonia per tabulas dabant, ſe ad damnum rei judicatæ reſarciendum hâc ſolenni formulâ fidem oppignorârunt, καὶ κατάσιμα ἑαυτῶν ἀπόδικον μαρτυρίαν. *Et memet ipſum judicio, ſi falſum dixero, obnoxium reddam.* Teſtimonia verò coram Judice ex ore præſentiũ teſtium prolata nullam omnino obligationem ſecum traxerunt, neque Teſtes ſe ἀπόδικους ſeu obnoxios (ut ſupra ex Demoſthene monuimus) Actioni ψευδομαρτυρίων reddiderunt.

VI.

VI. Si quando μαρτυρίαι cum testibus in foro Attico collidantur, pluris fieri video testationes scripto consignatas, quàm *testes præsentes*, quamvis in verba jurabant. Ad hunc morem alluſiſſe videtur Quintilianus, *Sæpe inter ſe collidi ſolent, indè teſtatio, hinc teſtes, locus utrinq;. Hæc enim pars ſe jurejurando, illa conſenſu ſignantium tuetur.* Imò, quod majus eſt, *ad rem judicatam in integrum reſtituendam* tenebantur. Cùm *pars altera* Juramenti Sacramento ad veritatem eliciendam obſtricta perjurii tantùm pœnam incurreret. Hîc obiter monendum eſt, illos *per Tabulas injuratos* teſtari, hos verò (quod leges Atticæ paſſim inculcant) ὄρκον διωμόσασθαι *interpoſito prius juramento teſtari.* Inter Athenienſes ſolus Xenocrates repertus ſeſt, (ἄν, teſte Laertio, ἠξιωμένος θεόδεν) cui ἀνώμοτον μαρτυρίαν *teſtimonium injuratum*

I. 5. c. 7.

Pet. f. Cõment. &c. p. 349.

Diog Laert. in vita Xenoc.

tatum in foro Attico proferre liceret: Cæteri verò omnes compulsi erant ad Aras (quando de *læsa Majestate, parricidio, aut aliâ re capitali ageretur*) vel *cæsâ parrectâ Suovetaurilii* accedere; ibíque juramentum concipere, ídque quod ab Antiphone vocatur μύησιν ἢ ἐφέτειον. postquam *tali imprecatione* utérentur, *Si scientes dolóve malo falsa testarentur, tum se totámque Gentem diris devovebant.* Nec existimárunt Attici homunciones tenuioris fortunæ hisce imprecandi formulis intra veritatis cancellos satis teneri posse; quare testimonium *ab iis*, tormentis exquisitè adhibitis, extorquebatur: quo testimonii genere nihil *laudabilius*, nihil *certius* apud veteres Oratores habebatur. Ἰσæus differens de Cironis hæreditate, τῶν Καπνιδῶν οὐδένα πώποτε ἐξελεγχθῆναι, ὡς οὐκ ἀληθῆ ἐν τῇ βασάνῳ εἴπον.

Val. Max. c. de Majest. Antipho de cæde Herodis.

Isocrat. in Trapezit.

Herald. de Auct. rer. Judic. c. 4. p. 55. v. Cujac. ad Novell. XC.

Ea-

Eadem tormenta ad teſtes, quorum fides vacillabat à Romanis admoveri aſſerit *Calliſtratus*: licet Teſtium veritas in *re Capitali* quandóque *virtute juramenti* elicitur, ſæpe *Equuleorum vi* extorqueturꝫ In *re* tamen *pecuniariâ Teſtes aurium* tactione fidem obſtringebant. Solebant enim veteres in contractibus ineundis (teſte Acrone) *Teſtium aures tenere, & ita dicere, Memento, quod in illâ cauſâ mihi teſtis eris.* Hinc exaudita *adverſarii vox* apud Horatium, quâ ab importuno comite liberatur; *Licétne amteſtari*, i.e. Licétne mihi ex te teſtem facere? Cui annuit *Licere*, oppoſitâ ſtatim auriculâ, quam *ille* ſibi tangeret. Eodem tangendi auriculam ritu Teſtem fieri apud Etymologicum magnum legimus, λοβοὶ λέγονται, ἐπειδὴ μαρτυρόμενοί τινα λαμβανόμεθα τούτων. Iſtum morem pangendi contractus inter Mercatores Armenos, & Ebræos, in *hunc uſq; diem*

1ex libero 15. de Quæſt.

Vet. Schol. Horat.

dem in Oriente usurpari vidimus. Jam si quis post tactas auriculas vel *judicium defugiat*, vel falsum testimonium dicat, lege 12. Tabb. *impius inteſtabilisq;* censetur. Nostris verò moribus consentaneum videtur *hujusce farinæ* homines, tanquam *testatione amplius indignos*, vel *perjuros*, aurium mutilatione mulctari.

Ex dictis constat veterum Athenienſium Judices non tantùm *legum normam*, sed instrumentorum fidem sequi jurejurando fuisse obstrictos; ita ut si sententiam supra falsis testimoniis (*Conscientiâ nequicquam reclamante*) dictârint, *nullo unquam pacto* rescindi posset. Humana tamen æquitas *duas actiones*, quibus pars injustè oppressa relevaretur, excogitavit; Quarum *una* vocatur κακοτεχνιῶν, contra *illum*, qui Testes ære suo corruptos conduxerit; altera ψευδομαρτυριῶν, contra falsos Testes; quæ fuere *partis læsæ unica Asyla.*

Herald. de Auct. rer. &c. l. 1. c. 6. p. 87.

Asyla. Videndum jam restat quàm firmis rationibus *Jus tum Romanum, tum Pontificium* Johannis partem tueatur.

VII. Hæc *sinuosa quæstio*, licet *de rarò contingentibus fiat*, ab antiquissimis tamen temporibus inter Romanos ventilata est; circa quam Gellius olim disceptationem cum Phavorino ex industriâ instituit. Neque alius sermonum finis fuit, quàm quod *hominem plenum perfidiarum & fraudum ex propriâ scientiâ* damnare noluerit; quia *ex tabulis consignatis atq; testibus* legitimè convincere non poterat: Quare à subselliis dissiliens *juravit sibi non liquere, atq; ita judicatu illo solutus fuerit.* Néq; aliud iter ad scopulos effugiendos patebat; quum hinc metus *Justissimi Numinis* conscientiam terreret, illinc legum auctoritas Romanum pectus ad obediendum impellitaret. Non tutum est (teste Aristotele) legum & testium auctoritatem pa-

Gellius Lib. 14. C. 2.

làm

lim spernere, ne sub obtentu conscientiæ belluinis affectibus judex plus Justo indulgeat. Indè est quod Legislatores prudenter sanxerunt, ut Judices ad aras jurati, vel, pro more nostro, tactis Evangeliis Jus dicerent. Hi enim tanquam legum Arbitri ab Imperatore jubentur ὁμοίως ἐγγεγραμμένον δόγμα λέγειν, *legibus cognitam edere sententiam*. Quod si contra leges, Senatûs consulta, sacras Constitutiones, vel Rescripta Principum *sententia* proferatur, *ipso jure* (absque omni provocationis remedio) *nulla* pronunciatur. Porrò si ab usitatâ legum solennitate paululum deflectat, *sententia irrita* habetur: veluti, si causâ non cognitâ, vel non palàm, aut *more majorum*, aut non præsentibus iis inter quos res agitur, & hujusmodi *alia Sexcenta*, quæ apud *Vantium* passim occurrunt.

Novel. 126. c. 1.

l. Si expressim 19. de Appell. Iult. c. sent. rescind. v. DD. in l. Præses de re Judic. De Nullit. ex def. proc. n. 118. l. 6. par. 1. de Offic. Præs.

runt. Cùm itaque *veritas judicialis in puteo Democriti*, i.e. in rerum abditis seſe abſcondat; neceſſe eſt, ut illam ex probationibus Judex eruat: quarum fidem, licet *privatæ rationis dictamen* aliud ſuggerat, ſequi leges jubent. Nam, ſi ſub obtentu *privatæ ſcientiæ Actorum fidem* negligat, aut deficientibus probationibus tum *Teſtis*, tum *Judicis* partes junctim agat; nulla ratio finiendarum litium, nulla *rei judicatæ* autoritas apparebit. Ecquis nudæ potiùs Judicis *atteſtationi* fidem adhibebit, quàm Teſtibus omni exceptione majoribus? Ecquis ſibi licere putet, quemlibet (Accuſatore & Teſtibus deficientibus) *ſuo arbitrio* damnare? Hoc Jus non pati *Doctores Bononienſes* Præſidi cuidam ſuaſerunt: qui cum *propriis oculis* ad feneſtram ſtans *Seium ſub Titii* gladio cadentem viderat, *Titium* tamen, homicidii manifeſtum reum, abſolvere

Cujac. Obſer. l. 22. c. 19.

Rhit. Inſt. Juſt. pars 9. c. 6. p. 544.

ſolvere coactus eſt; cùm de *cæde perpetratâ* neque ex proprio ore, neque per Teſtes coram eo legitimè convinceretur. Eodem recidit exemplum Africani poſterioris, qui in Cenſurâ recognoſcens centurias Equitum juſſit C. Licinium Sacerdotem tranſducere equum, & lucrifacere *Cenſoriam notam*, quem tamen dixerat ſe ſcire *conceptis verbis perjerâſſe*; quod idem nemo teſtificabatur, ut Tullius & Valerius Maximus ſcriptis mandârunt.

VIII. Ex Alterâ parte Martini ſequaces ſummis laudibus conſcientiam efferunt, tanquam numen, quod in humano pectore habitat, illúmque regit: contra cujus dictamen ſiquis eat apud omnes gentes impietatis notâ inuritur, imò crimen læſæ majeſtatis in foro interno commiſſiſſe dicitur. Hujus tamen examen ſubire, caſúſque omnes referre fori conſcientiæ patronis relinquo. Interim, ſi quis I-

Ioh. Rivius l. 2. de Conſcient. p. 35. Sanderſonus de conſcientia.

Ideam

deam Judicis donis, vel gratiâ incorrupti vivis coloribus depictam ob oculos ponat, quem nullus animi motus à rationis tramite deviare cogat, hujus arbitrio, tanquam vicario Deo, humanas actiones facilè submiserim. At pauca sunt hujus farinæ mortalia pectora, quæ Tribunal conscendunt; quæ licet conscientiæ prætextu & colore extus oblinantur, *intus* tamen & *in cute* sordes & animi livor præcordia corrodunt. Quare non tutum est hisce, inter affectuum æstus fluctuantibus, & extra legum orbitam vagantibus, querelam committere. Nam sicut indomiti equi excusso fræno omnia in præcipitium rapiunt: ita Judices nullius prudentiâ refrænati, favori vel odio pro libitu indulgentes, nullum non facinus patrabunt. Dedit naturæ Deus corporibus quæ sese retinere non possunt modos & terminos; Oceano sua claustra, fluminibus alveos & ripas, quibus coercean-

cœrceantur: Sic Legislatores prudentiæ regulas excogitârunt, quibus vagabunda & fluxa Judicis mens intra proprios terminos cohibeatur. Uti Nauta pixidis & gubernaculi beneficio navem ad destinatum portum dirigit, ita reipublicæ interest, ut Judices legibus tanquam pixide utantur, quibus concivium actiones ad publicam salutem impellant. Contra legum patronos strenuè insurgunt Treutlerus & Gentilis. I. *Quod acta sint inducta ad veritatem erudam, ideoq; non debeant operari contrarium.* Resp. Treutl. dis. 4. th. 9. lit. A. Alb. Gentil. l. 2. Epist. 13.

peti hic principium, quia illud verum præsumimus, quod legitimis modis, p. testium aut instrumentorum fide in judicio comprobatur, potiùs quàm nudam Judicis Attestationem. *In quo casu testis personam (officio Judicis depositio)* suscipere videtur, juxta illud Platonis ἐὰν γ τὶς τινα δικάζοντα αὖ ἀκούσας μάρτυρας μὴ διαφηρίζηται τοῦτ ἐστὶν.

II.

II. Objicitur *quod Judex (cum sit Dei & Justitiæ Minister) debeat secundùm veritatem judicare.* Resp. *Veritatem Judicialem* ex actis erui, & ex ore duorum, aut trium testium confirmari, juxta regulam Juris, quòd res judicata pro veritate habetur. Si Judex in innocentem falsis testimoniis oppressum sententiam mortis ferat, non tam externo foro, quàm illo Poli (ut Pontificii hariolantur) veniam meretur. III. *Fingunt probationes non fuisse sufficientes.* Resp. Leges trium Testium vel instrumentorum fidem secutæ illa testimonia pro veris accipiunt, quæ ab illis probantur; nec multum refert utrum Caius Judex hoc credat an Titius solus, qui tunc pro Tribunali sedet. IV. *Acriter contendunt legù authoritate ducti, fidem* Actorum *omnino à Judicis arbitrio pendere.* Res. Æquum & bonum videtur supremam fore potestatem penès Judi-

Treutl. p. 2. Disp. 4 th. 9. lit. A. l. 2 par. 2. de Test.

ces

es, Testium, omniúmque testatio-
num fidem & sinceritatem quasi
cum pulvisculo discutiendi. At si
nulla Juris exceptio contra Acta &
Probata formari possit, nuda Judi-
cis assertio non sufficit ad fidem il-
lis derogandam. V. *Objici-*
unt ex jure quod Judex l.79.tit. de Jud.
notorii, etiam non allegati, possit, &
debeat habere rationem Resp. Mul-
ta in quæstione facti Judicis arbi-
trio permitti (Illius præsertim, qui
integram provinciam tanquam su-
premus Magistratus administrârit)
Novellæ passim demonstrant. At
Judices inferioris subsellii, quan-
docunque in ambiguâ lite ita hæ-
rebant, ut se expedire nequirent,
tunc *præsides super facto* consulere
solebant. Interim falsam notorii
definitionem nobis obtrudit Treu-
tlerus. *Quod Judex solus scit, aut se*
scire prætendit. Cùm potiùs *evi-*
dentiam rei factive implicare vide-
tur. Notorium enim dicimus quod
apud omnes ferè liquidò constat.

Sichardus in eandem legem. Cyn. in l. 1. fin. c. ut quæ desunt Advocatis.

IX. Absit, ut Judicem suaderem *ex una parte* leges violare, *ex altera* conscientiam lædere; absit, ut in animum inducerem, (quod Pontificii Sycophantæ mirum in modum crepant) *illum* in foro poli excusatum iri, qui contra animi sui sensa sententiam tulerit; Papicolæ enim asserere non erubescunt *verba ex Pontificis ore cadentia* (si Cathedram semel conscenderit) instar Oraculorum à suis Symmistis excipi debere; adeò ut conscientiam contra eorum decreta quandoque quicquam suggerentem superstitiosi hominis vana terriculamenta nuncupent. At *religio & Justissimi Numinis metus* nos retinent, quo minus conscientiæ vulnera infligere pergamus. Quare à Judice nostro omnibus nervis enitendum est, I. Ut conscientia pravis affectibus contaminata ad normam legis exigatur. II. Ut ex *Actis & probatis ritè pensitatis*, illam

illam licèt reluctantem retrahere magnoperè contendat; háſque regulas in Quæſtione Juris ad amuſſim calleat. 1. Si lex ſcripta unum *Juris naturalis* capitulum in ſe contineat, ad ejus normam *ſententia* exactè ferenda videtur. 11. Si Judex ſuperioris ordinis verſetur circa Jus poſitivum, habet autoritatem ſibi à ſummo Magiſtratu demandatam vel *legum rigorem relaxandi*, vel *pœnas mitigandi*. Quandoque *reipublicæ intereſt*, ut Princeps abſque *omni Juris ſolennitate* ex *privatâ ſcientiâ* in Civium neces graſſari permittatur: præſertim, ſi facinus aliquod, aut in Rempublicam, aut *ſummi Magiſtratus perſonam* machinati ſint; cùm in Jus abduci ſine gravi Reipublicæ diſcrimine non poſſint. 111. Judici *inferiori* non licet ſine tacitâ vel expreſſâ *ſuperioris* veniâ à verbis legis recedere; præcipuè, ſi non conſtet de Legiſlatoris mente, vel ſi ſummus Magi-

ſtratus (lex enim infringi non debet) de ambiguo ejuſdem ſenſu conſuli non poſſit. Sin verò ejus intentio ex legum collatione planè deduci, aut probabili ſaltem conjecturâ indagari valeat, tunc ἐπιεικεία quâdam (licèt verborum vis contradicat) utendum eſt, i. e. ad mentem Legiſlatoris, *tanquam legis animam, (neglecto verborum cortice)* recurrendum eſt. IV. Poterit Judex cauſſam, quam lædi exiſtimârit, ex *Æquo & bono* adjuvare; partim ſupplendo proferendóq; quæ à *partibus* minus erant probata, partim *Juramentum alterutri* deferendo, hoc pacto ut ſententiam ferat in favorem ejus qui juraverit.

l. 1. c. quæ def. Advoc. part. l. admonendi 31. D. de Jureju. l. 3. c. de rebus dubiis.

X. In quæſtione facti ad conſcientiam informandam anxiâ magis inquiſitione opus eſt: innumeris enim rerum circumſtantiis *Acta* & *Probata* inveſtiuntur; Quod ſi Judex in unâ lapſet, totum judicium *eluſorium* redditur. Mirari non

non semel subit Ebræorum Judicum *hâc ex parte* subtilitatem, qui interrogatiunculis non è trivio petitis testes lacessere, imò irretire consuevernnt; A quibus primò exquirebant לחזוי אתיתו או לאסהודו אתתו *Utrum spectandi gratiâ an testandi accessistis?* Si animo testandi se in judicio sisti profiterentur, tunc ad testimoniũ dicendum, (nisi unus ex illis קרוב או פסול *propinquus aut rejectaneus* haberetur) admitti solebant. Illos tamen Judex ante *latam sententiam* minutulis quæstionibus circa omnes *loci, temporis,* & *personarum* circumstantias exagitabat. Bini ad minimum testes eodem momento (non multùm refert, utrùm ex unâ an diversis fenestris, modo *monitor* ipsos simul viderit) facinus prospectâsse deberent. Sin verò *unus post alium* caput è fenestrâ extulerit, & *partem facti* quisque viderit, eorum testimonium (si de Civis capite potissi-

Maim. Hilch. Eduth. c. 5.

mùm agatur) penitus rejiciebatur; juxta tritam istam Talmudicorum regulam עידי נפשות צריך שיהיו שניהם רואים את העושה העבירה כאחד וצריכין להעיד כאחד וגבית דין אחר אבל דיני ממונות אין צריכין לכך *Testes rei capitalis oportet facinus simul spectasse, pariter testari coram eisdem Judicibus; Testes causa pecuniariæ nihil necesse est.* Si *plures* testium *pares* coram Judice comparerent, *moris fuit*, priorum cum sequentibus testimonia inter se conferre; Quòd si testes parùm sibi constarent, aut inter se *testimonia* non cohærerent, omnes à testimonio dicendo repellendi erant. Hanc repulsam Hebræorum Iuris consulti nominârunt הכחשה בעדות עצמה *Hacchaschah sive Contradictionem circa ipsum testimonium.* Sin verò in ipso testandi modo mendacii planè arguerentur, Testes *Actione* הזמה *seu mendacii evictione* tenebantur. Hisce & similibus interro-

v Notas Coccei ad cap. 1. par. 9. Maccoth.

interrogatiunculis ad perplexos in *Quæstione facti* nodos dissolvendos Ebræi utebantur, quarum beneficio tum *stricto* Juri, tum læsæ Conscientiæ medelam parabant.

XI. Parili anxietate veritatem ex instrumentis & testibus Judices tum Græci, tum Latini extorquebant, quorum falsitate si *Causſam* benam lædi viderent, sententiam *ex æquo & bono* (prout religio suggerit, legésque passim jubent) proferre solebant. Imò sententia iniquè prolata (licet aliàs omnes Juris solennitates ritè erant observatæ) Jure Attico rescindi poterat, ut patet ex Cratini dictis apud Terentium,

l. sum quæ. 79. D. de Judic. Argum. d. l. 3. & 1. Quæsitum 13. D. de testibus. Phorm. Act. 2. Scen. 4.

——Quod te absente hic filius Egit, restitui in integrum æquum est & bonum:
Et id impetrabis.

Par est, ut *totam actionem* (quam Demipho contra Phormionem instruere paraverat) hîc attexam;

cujus

cujus ſpecies à Terentio ſummâ elegantiâ ſic repræſentatur. *Antipho Phanium, quam perdito amârat, ducere decreverat, ſed quia Demiphontem patrem (qui tunc longè aberat) metuebat, hoc commento Phormionis conſilio uſus eſt. Solon legem tulit, ut virgines orbas, egenas,* (has Attici ἐπικλήρους nominârunt) *genere proximi aut ducerent aut dotarent,* juxta illud Terentii in Phormione.

Phorm. Act. 1. Scena 2.

Lex eſt, ut orbæ, qui ſunt genere proximi
Iis nubant, & illos ducere eadem lex jubet.

Jam Paraſiticus ille Phormio ſe Phanii Paternum amicum fuiſſe ſimulârat, eoq; nomine (ad illum enim ἐπικλήρων litem intentare ſpectabat) *Antiphontem tanquam virginis cognatum in Jus ducit. Ille in Judicio ſe ſiſtens cognationem ſilentio ſuo confeſſus eſt; Ideo à Judice Phanium in uxorem ducere damnatur. Ubi Senex domi reverſus rem*

re-

rescivit, omnem movit lapidem, tum ad nuptias disturbandas, tum ad Judicis sententiam rescindendam.

At hoc mero (quod aiunt) Jure Hegio à Demiphonte consultus fieri negabat.

v. Herald. Animad. ad Jus Attic. c. 15. de Auctor. Rer. Judicat. l. 1. c. 3.

Mihi non videtur, quod sit factum legibus Rescindi posse, & turpe incœptu est.

Lex enim Attica disertis verbis prohibet ὃν ἂν γένηται δίκαν, τοῦτον μὴ εἶναι δίκην, vel, ut cum Phormione Terentiano loquar, *Judicium de eâdem re iterum ut reddatur*: Nam hoc erit, ut inquit ille, *Actum agere*. Adde, quod Antipho justæ & legitimæ fuerat ætatis Jure Attico comparendi in Judicio; Planè enim constat illum XVII ætatis annum compleviſſe, quo tempore adolescentes ἀληξιαρχικῷ γραμματείῳ nomina dabant. Quare licèt Judex (*si merum Jus respicias*) sententiam legibus conformem tulerat, *Jus tamen æqui & boni* Demiphonti remedium in

foro Attico præbebat. Nam æquum postulat, ut filius-familias, licèt 17 ætatis annum attigisset, Patris consilio regeretur; Cujus patrocinio in forensibus litibus uti tenebatur. E contrà *iniquum* videtur Adolescentem (Patre absente) Sycophantæ insidiis irretitum indefensum cadere, & ad nuptias contra *Patris imperium, ejúsve* saltem *injussu* contrahendas damnari. Si Phormio legitimis modis *cognationem* ostendisset, *Non fuit necesse habere: sed id quod Lex jubet, Dotem dare*, i. e. Demipho *tribus minis* (quod *Jus Publicum* constituit) illicitas filii nuptias redemisset. At Phormio contra legum præcepta agens *confictis probationibus* nitebatur, & sententiam (*conspiratione cum Antiphone priùs initâ*) extorquebat; quam Demipho aut *nullam*, aut prorsus *irritam* fuisse *Jure optimo* contendere debuisset. In hâc *Causâ palliatâ perorandâ* ideo moram traxi, ut Judices sibi caveant,

caveant, ne in litibus decidendis, in quibus aliquid fraudis subesse suspicantur, *meri Juris* rigori nimium adhæreſcant. Nam *Juri* tum *divino*, tum *humano* consentaneum arbitror, ut Judex (si nulla ab eo fiat provocatio) ex *animi sui sententia*, vel *religione in Quæstione facti* pronunciet; & veritatem spretis testimoniis (illius enim in fide solâ unicum litigatorum præsidium collocatur) audacter asserat. At *Inferior Judex* de Tribunali cedat, ut tanquam *Advocatus* vel *Testis Causam* Partis læsæ coram *Superiori* agat. Quando de Capite Civis quæstio instituatur; si innocentem *conjurato* hominum *testimonio* obrui noverit, omnibus nervis intendat talem à pœnis liberare, partim impediendo accusationem, partim singulari sagacitate examinando Testes. Sin verò *reum* pronuntiare testationes solenni more productæ cogant, *sententiam executioni* mandare differat, donec damnati innocentiam

centiam ſummo magiſtratui approbârit: Quam opinionem (tanquam Juri humano conformem) *melioris notæ Juriſconſulti* amplectuntur. Hottom. Illuſt. Quæſt. 27. Cujac. l. 12. C. 19. Bacho. Diſp. 13. Theſ. 14. Vin. Inſtit. l. 4. Tit. 17. Marchio c. 29. Vaſquius Illuſt. Controv. 14. Alii.

AN

An Judices dari Possint Ex Corpore Advocatorum?

Cap. Consp.

Paragr. I. *Anonymus Scriptor ex novandi pruritu Rempublicam evertere conatur. Advocatorum munus obeliſco Apologetico tranſfixum.*

II. *Unde fluxit Patronatus Jus. Nulla vis in populari ſtatu intercedit, quæ potentiorum inſolentiam compeſcere ſolet. Divites factioſi apud Plautum quinam? Mos patronum eligendi inter Aticos antiquitus invaluit. Ad eundem morem obſervandum Inquilini poſtea (lege interpoſitâ) aſtringebantur.*

III. *Patronatus Jus à Romulo inter Romanos ſtabilitum. Magnos motus & trepidationem in urbe ſæpè peperit. Eadem ferè Officia*

Clientes

Clientes Patronis præstare solebant, quæ vassalli erga Dominos. Patrono Perduellionis crimen imputatur, si in Clientem testimonia struat.

IV. *Devictæ urbes in eorum Clientelâ remanserunt, qui illas primò subegerunt. Cæsares Clientelæ ritum tanquam belli Civilis nutricem è medio sustulerunt. Clientum simultates imperii tranquillitatem maximè turbârunt.*

V. *Advocati apud Latinos, & Παράκλητοι apud Atticos unde dicti? Varia munera Paracletorum ex Demosthene et Aristophane demonstrantur. Lex Atticatricenario minores perorare inhibebat. Advocationis mos Appii Claudii ætate ex Dionysio et Livio recensetur. Advocatos etiam testimonia struxisse Cicero et Latini Comici passim testantur. Quales habentur Caussarum Cocionatores, & litium Redemptores? Quando inclarescere cæperunt*

runt Pragmatici in foro Romano?

VI. Antiquissimis temporibus amici Advocationis munus subierunt. Inquilini more Attico se sub hospitum patrocinio collocarunt. Patroni à Prætore dari solebant. Cato major ab omni Advocatorii muneris mercede penitùs abstinuit. Causidicorum Δωρεοδοκία Cinciâ lege fuerunt sublatæ. Judices pro Advocati facundiâ, foriq; consuetudine Honoraria proponere tenebantur. Nuperus Apologista obelisco transfigitur.

VII. Alciati sententia autoritate Palladæ veteris Epigrammatistæ stabilitur. Eutropius rabula forensis à Claudiano carbone notatur.

VIII. Rationes, quæ Deciani partes muniunt, proponuntur. Ebræorum Doctores in Judices cooptati. Magistratus Attici et Romani ex Rhetorum Scholis prodire solebant.

IX.

IX. *Vir probus et dicendi peritus Judicis officio fungi debet. Forenses milites æquè ac Gregarii stipendia sua mereri videntur. Artis Mechanicæ Professor postquam longam in eâ operam navavit, summum culmen attingit. Interest Reipublicæ Scholas Juri Gentium dicatas instituere, ubi Juvenes ad legationis munus rite obeundum erudiantur.*

Cap. VIII.

Par. I. IN lucem hominum nuperrimè prodiit *Sartago libelli*; qui suppresso parentis nomine tanquam suppositititium fœtum sese venditat. Hic *Proceres, Ecclesiæ ministros*, cæterósque reipublicæ *ordines* communi quasi ruinâ involvere; imò corporis Politici structuram ab imis quasi fundamentis concutere, solóque adæquare conatur. Animus meminisse horret,

inrret, quot ſpicula veneno illita in Cauſſarum patronos contorquet; quorum munus ut reipublicæ peſtem damnat, ipſóſq; (ut cum Plauto loquar) tanquã *mortales malos, qui doctè ingrediuntur in Sycophantias*. Nec hoſce *Advocatos* alii uſui inſervire concedit, quam Civium (inter quos lites quotidiè ſeminant) crumenas emulgere. Ut hujus Vitilitigatoris inſaniæ, partim occurram, partim ut Cardinem (ſuper quem quæſtio jam agitanda movetur) præoccupem; Oſtendendum eſt, I. Advocatorum munus ab Antiquiſſimis temporibus inter moratiores populos *publico uſu* fuiſſe receptum. II. Ubicunque pax & juſtitia colitur, ibi horum Antiſtitum miniſterio leges uti neceſſe eſt. Quare de Advocatorum origine pauca in limine præfari animus geſtit.

II. Quos natura Conſilii inopes, aut Judicii nondum adulti produxerit, Illos *Jus tum Gentium*, tum

tum Civile sub prudentum tutelâ collocavit. Pari passu tenuioris fortunæ homines, necessitate quâdam adacti, sub potentiorum patrocinio ultrò se subjiciunt; in eâ præsertim Civitate, quæ imprudentem & instabilem popularis regiminis formam affectat. Illa enim partium studia, seditiones, aliáque discordiæ semina, quæ ex Candidatorum ambitione quotannis nascuntur, in visceribus suis nutrit; ita ut in tam soluto gubernandi statu *vis vindicativa* non intercedat, quæ potentiorum insolentiam vel in capite censos tyrannidem compescere queat. Hujusmodi *factiones* non solùm per liberas Græciæ urbes, sed per universam *Scythiam*, *Brittanniam*, *Scotiam* sub variis nominibus inclarescere cœperunt; has familias sanguine conjunctas, alii *Hordas*, alii *Clanos*, alii *Kenel*, Græci verò φυλὰς nominârunt. Divites isti qui plurium Clientelis subnixi erant Latinis (teste Plauto)

Plautus in Aulul.

Plauto) *factiosorum* nomine veniebant; Ad eorum factiones idem illusisse videtur in Trinummo.

Ita tu nunc dicis non esse æquiparabiles
Vestras cum nostris factiones atque opes?

Ex isto studio partium manavit *jus* quod primis temporibus inter Atticos sanctè colebatur; quo proletarii Cives è potentioribus πρεσταίων νόμων, seu Patronum sibi adscisere obstricti erant. At Solonis ætate cùm Clientes, quos πελάτας vocârunt, à Patronis duriter admodum tractarentur, ab hujusmodi ministeriis per Σεισάχθειαν liberati fuerunt. Soli ἐν Μέτροις seu Inquilini ad negotia publica seu privata administranda Patronum eligere lege jubebantur. In hæc verba Harpocration ἐν τῷ μετοίκων Ἀθήνησι πρεστικοὶ τοὺς πρεσταὶ ἐκαλοῦντο, ἀναγκαῖον δὲ ἦν ἑκάστῳ τῶν μετοίκων πολίτην τινὰ Ἀθηναίων

Dionys. Halicar. Lib. 2.

Petit. Leg. Tit. 5. p. 170.

v. Herald. de Auctor. rer. Judic. l. 2. c. 5. par. 5.

νόμων

νέμειν προστάτας. Idémque Patronum eligendi mos per Civitates Oropenſem, Megarenſem, cæteraſque Græciæ urbes paſſim invaluit.

III. Quamprimùm Romulus ſui imperii fundamenta jecit, è veſtigio *Patronatûs* Jus, (quaſi novi principatûs ſuſtentaculum) ab Athenis mutuò accepit: ὃν καταθέσθαι ἤ ἔδωκε τοῖς Πατρικίοις (Auctore Dionyſio) πρὸ δημοτικὴν ἐπιχείρησιν ἐν τῷ πλήθει τὸν αὐτοῦ βέβαιον νέμειν προστάτας. Uti Romulus hâc publicâ *patrocinatûs fide* Patriciorum animos cum Plebeis devincire tentavit; ita ſeditionibus latam viam aperuit. Nam ſi ambitioſus Civis *opibus et amicis potens* aliquid novi in rempublicam moliatur, in promptu erit magna Clientum ſequela (*bonine an mali ſint id non quæritat*) quorum auxilio fretus rempublicam in diſcrimen adducet. Quo pacto *Coriolanum* magnos motus & trepidationem in Româ peperiſſe Dionyſius

Dionyſ. Halic. l. 2.

Plautus in Mænechmis.

sus refert: ἦν δ' ὅτε αὐτὸν ἑπτακισχιλίων ἀνδρῶν ὑπήκοων Dionys. Halicarnass. l. 6. *magnus clientum comitatus adfuit*, quibus jure concessum est (teste Dionysio) *justa arma pro Patrono* capere, ejusque *bona*, *vitam*, *dignitatem* pro virili tueri. Sin verò ipse libeque ejus belli infortunio capti fuerint, Clientes ad ipsos ære suo redimendos accurrebant. Quin si mulctæ pecuniariæ (cujus generis Furio Camillo apud Livium irrogari legimus) Patrono imponerentur, à Clientibus exsolvendæ veniebant. Ipsi etiam ad elocandas Patronorum filias facultates suas contulerunt, quem morem postea Plutarchi seculo in desuetudinem abiisse video. Interim omnia officia, quæ *Jus feudale* à *Vassallis* erga *Dominos* præstari jubebat, Clientes suis patronis exsolvebant. Hoc tantum interest, quod *Domini Longobardici* truculentam magis potestatem in subditos (Sacramento Liv. l. 5. v. Crag. Jus feud. dieg. 11. p. 211.

fide-

fidelitatis interpositò exercuerunt, quàm Patroni in suos Clientes. Hi enim reciprocam quandam benevolentiæ obligationem ex publicâ fide contraxerunt. Nulla lex; nullus Magistratus Patronum in Clientem, aut è contra, testimonium dicere unquam coegerat. Ἄνομον (inquit Plutarchus) καταμαρτυρεῖν πλάτωνι φεύγοντι, ἢ πεῖσαι πλάτωνα, ὃν νόμῳ θεῖναι, ἐλθεῖν ἀρχὴν ἠνάγκαζεν. Neque solùm *Impii* inter Romanos, sed etiam *Perduelles* haberentur, si in illum, quem *in fidem* semel receperant, testimonia struerent, ejúsve *causam in forensi lite* proderent.

IV. Hujusmodi patronatus Jus inter Patricios & Plebeios Romulus instituit, ac augescente indies Imperii mole, plurimæ coloniæ, sociæ civitates, aut bello subactæ, viros, non modò Patriciâ dignitate, sed sapientiâ præstantes σύλλογοι καὶ βουλευτήρια elegerunt. *Bononienses* (teste Suetonio) in

Suet. in Tib. v. etiam in Augusto.

in Antoniorum *Clientelâ antiquitus erant*; Lacedæmonii sub Claudiorum tutelâ collocati fuerunt: Porrò & Dyrrachium aliâsque urbes in *fidem* suam se recepisse Cicero gloriatur. Quin & ipse retulit devictas gentes in eorum Clientelâ *more majorum* remansisse qui illos primò subegerunt. Quâ verò formulâ ad urbes *in fidem* recipiendas veteres utebantur, Civitatis Apisiæ inscriptio nos docet. C. SILIVS C. F. FAB. AVIOLATRIB. MILIT. LEG. III. AUG. PRÆF. FABR. CIVITATEM APISIAM MAIVS LIBEROS POSTEROSQUE EORVM SIBI LIBERIS POSTERISQUE SVIS IN FIDEM CLIENTELAMQVE RECEPIT. Iste mos proletarios patrocinandi tamdiu Romæ vigebat, quamdiu ista libertatem pristinam tuebatur: everso verò Reipub. statu, & sub unius imperium subdito, veterum Clientela, tanquam novo principatui suspecta, prorsus abolita

Cicero pro Plancio. Offic. l. 1.

l. 2. 3. D. de us. cum Habit. l. 5. par. 1. D. de his qui effud. vel ejec. l. 89. D. de furt.

bolita est: cujus tamen umbram per corpus Juris Civilis adhuc oberrantem hodie tenemus. Nec immerito Cæsares hanc inter Cives belli nutricem à Roma O. straciſmum ferre compulerunt. Hinc enim Roma in partes Gracchanas, Marianas, Syllanas, Pompeianas, Cæsarianásque divulsa suam ruinam acceleravit. Satis mirari non possum imprudentiam *Celtiberorum*, *Gallorum*, *Britannorum*; qui licet Monarchicum regimen summè affectârint, eorum tamen Principes familiarum factionibus & numerosâ Clientum vi subniti videntur, ex quibus integrum exercitum conscribere solebant. Documento erit *Allacius* admodum adolescens Celtiberorum Princeps, qui, teste Livio, *delectu Clientum habito, cum delectis militibus, & quadringentis Equitibus intra paucos dies ad Scipionem rediit*. Quàm facile

lib. 26.

fuit

fuit Romanæ virtuti hoſce Regulos, Clientum ſimultate & ſtudio parium tantùm ſuffultos, debellare, Annales Latini paſſim teſtantur: apud quos prudentiæ Romanæ non minima pars cenſetur minores gentes inter ſe committendo victis occurrere; ita ut, dum ſinguli pugnarent, mutuiſq; cladibus tanquam *Cadmeia proles* ſe invicem afficerent, univerſi à Romanis Aquilis tandem corriperentur. Sed hæc obiter.

V. Ex prædictis liquet amplam illam patrocinandi poteſtatem, quæ in priſco ævo invaluit à Tiberio cohibitam eſſe; Advocationis tamen munus in foro ſemper remanſit. Qui ab *Amico* advocabantur, ut ejus cauſam præſentiâ ſuâ adjuvarent, eíq; jus ſuggererent, *Advocati* à Latinis dicti. Hos tamen Attici (auctore Dionyſio) παρακλήτους vocabant; Quoniam παρεκαλοῦντο, ſive, ut interpretatur Ulpianus, ἐπὶ τὸ παρακλήσεως ἕνεκα ἔρχονται συμπροφέρειν: *vocati erant*

ad Amicorum causam oratione sublevandam. Horum *studia & precationes forenses* à Demosthene non semel celebrantur, αἱ ὑπὲρ τῶν παρακλήτων αὐταὶ δήσεις, καὶ σπουδαὶ τοῦ ἐλέου πλεονεξιῶν ὄντα. Ita in Judicio Socratis, liberi, parentes, amici, cognati παράκλητοι comparuerunt, non tanquam κοπτόμενοι, sed ut lugendo, deprecando, virtutem Socratis partim laudibus efferrent, partim culpam excusarent, extenuarentve, qui denuo Judicum animos lugubri oratione ad misericordiam flectere conarentur. In hunc morem alludisse videtur Aristophanes, cùm in necem mortalium Sapientissimi Comicâ maledicentia viam præstruxerat:

Dem. in Orat. περὶ παρεσ. v. Ulpian. ad locum.

Aristoph. in Nebul.

——Πῦ τὰ παιδία;
Ἀναβαίνετ' ὦ πονηροὶ, καὶ κνυζούμενα
Αἰτεῖτε, καὶ δεσποτεῖτε, καὶ δακρύετε.

—Ubi sunt liberi?
Misella pignora, ita vagientia
Ascendite, Obsecrate, fletus fundite.

Inter

Inter Socratis amicos præ cæteris emicuit Platonis studium, qui Apologiam, quam in Præceptoris gratiam contexuerat, suggestum ascendens sic exorsus est: πάντα τοῦ ὦν, ὦ Ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸν ἐμὸν τὸ βῆμα ἀναβαίνων. Dicto citiùs Judices illi ob teneram ætatem silentium imponebant, (erat enim tricenario minor quem lex Attica σιωπᾶν prohibebat) & voce Præconis ei denunciabatur κατάβηθι, i. e. ut de suggestu descenderet. Hinc voxilla Philocleonis apud Comicũ Sycophantam audita est: φιλοκλ. κατάβα, κατάβα, *Descende, descende* iterum. Eadem erga amicos officia ab Advocatis fori Romani præstari solita Dionysius & Livius disertis verbis tradidere, in eo saltem judicio quando Appius Claudius Decemvir in Virginii filiam sententiam ferre destinârat, Amici patris tum absentis (puellæ Advocati à Livio nominantur) in forum accurrerunt, & Diog. Laert. in Socrate.

Liv. l. 3. vid. l. cit.

& ab Appio postulârunt ut rem integram in Patris adventum differret, et lege ab ipso latâ vindicias daret secundùm libertatem: quem favorem Advocati (magno sublato clamore non sine lacrymis effusis) impetrârunt. In hæc verba Dionysius: ὡς δ' ταῦτ' ἤκουσαν ὅτι ἦπται ἀλόγως ἡ δίκη καὶ τὰ δίκαια λαμβάνων ὁ ἀπελεύθερος, τὰς χεῖρας ἄφαντες εἰς τὸν ἀφρῶνα ἀνέκραγον ὀδυρμῷ καὶ ἀγανακτήσει μεμιγμένην χαυνότητι. Præter istud deprecandi munus Advocati in primis temporibus ad testimonium ferendum, in Jus Litigatores sequebantur; quorum non solùm Cicero, sed Comici Latini passim mentionem faciunt. Hujus farinæ Advocatos Agorastocles Plautinus ære suo conduxerat, qui Sycophantiarum artem palàm profitentes insidias in Lenonis necem doctè struerent, quem fallaciis suis irretitum falsis testimoniis in *Jure* opprimere, properabant. Nam hosce *Advocatos* testium officio

loco laud.

Plaut. Pœnul. Act. 3. Sc. 1. 2. 3

officio præcipuè fungi fatetur Agoraſtocles in Pœnulo Plautino.

Ag. *Quid eſt? quid vultis teſtes?* Act. 3. Sc. 4.
Ad. *Spectа ad dextram.*
Tuus ſervus aurum ipſi lenoni dat.

Tantæ corruptelæ in forum Romanum (Republicâ in pejus indies labaſcente) paulò ante Cæſarum tempora irrepſerunt, ut ſolenne fuerit Sycophantas aliósque deperditæ famæ, certâ mercede propoſitâ, conducere, quorum operâ (aliis amicis deſtituti) uterentur, ad litem Advocatione teſtibúſve tanquam Scenico Choragio inſtruendam. Quos *Cauſſarum Cocionatores, vel litium redemptores* leges paſſim nuncupant, quia ex eventu litis ſibi ſummam paciſcebantur, dimidiam aut tertiam partem, aut quamcunque conveniſſet. Quæ fori inſolentia Cottâ & Meſſalâ Coss. i. e. imperante Tiberio, Senatus conſulto coercebatur. In hæc

l. 8. D. Mand. l. 9. D. de Offic. Proconſ.

verba Marcianus: Qui *ob instruendâ advocationem, testimoniâve pecuniam acceperit, patrocinioque fuerit, societatem coierit ad obligationem innocentium ex Senatus consulto coercetur.* Ad quam legem respexisse videntur Hermogenianus, Ulpianus, & Auctor Collationum, quando *Causarum Cocionatores, litiumq; redemptores* pœnam legis Corneliæ subire decreto sanxerunt. Exoleto illo advocationis genere necessitas novos causarum Patronos in forum introduxit, *qui agendis causis* (teste Ulpiano) *quoquo studio operabantur:* hosce postera ætas *Pragmaticos* appellavit, quippe quod hi, qui Juris studio ab unguiculis fuerint dicati, in forensi strepitu causisque agendis totum vitæ curriculum contererent.

l. 9. par. 1. 2. leg. Corn. de falsis l. 20. D. eodem.

Tit. 9. de falso Testim.

l. 1. par. 10. de extra. Cognit.

VI. Diximus Advocatorum nomen inter Atticos & Romanos ab

ab ultimis temporibus invaluisse; & tunc *Amicorum* tantùm *rationem* habuerunt, cùm sponte se offerebant, vel ab amicis ad testationem faciendam advocati erant, ut *præsentiâ suâ (quandoq; oratione)* amicorum causam in foro sublevarent. Certè Ciceronis ætate *Prætor* vel *provincia Præses* postulantibus Patronos dabat. Patrocinium Inquilinorum *urbe Attico* hospites, ut plurimùm *Patrii Juris Callentissimi* in se susceperunt. Indè *jocus* Ciceronis de *Siculo quodam*, cui cùm *Prætor Scipio* Patronum ad causam agendam dedisset Hospitem suum, hominem nobilem, sed admodum stultum & huic rei ineptum: *Quæso* (inquit) *Prætor, Adversario meo da istum Patronum, deinde mihi neminem dederis.* A Prætore (inquam) dabantur, qui ingenio & facundiâ pollentes *multorum causas, & non gravatè & gratuitò* (teste Cicerone) *defendere* satagebant. Huic

l. 2. de Offic.

Liv. l. 22. arti absque omni mercede sub initio belli Punici secundi C. Terentius Varro operam navavit: indè tamen frequentes tenuiorum hominum Clientelas sibi comparavit, quorum studio ad Consulatum magno Romani Imperii damno promotus erat. Eidem muneri Cicero Catóque major omnibus nervis incumbebant, qui licèt, provinciarum, urbium, pagorum, castellorum patrocinia in se susceperunt, ab omni tamen mercede penitus abstinuerunt. Catonis hâc ex parte innocentiam

Plut. in vit. Caton. Plutarchus sic deprædicat: μισθαρνίας καθαρὸν ἑαυτὸν ἐπὶ τὰς δίκας, ἢ τὸ ἀγῶνας παρῆχεν. Tantum abfuit, ut Romani *moribus antiquis* prædíti istam perorandi artem quæstuosam facerent, ut Causidicorum δυσχέρεια, seu sordes (Cinciâ lege interpositâ) è medio fuerant penitus sublatæ.

Tacit. l. 11. *Ne quis ob causam orandam, pecuniam, donúmve acciperet.* Postea verò corpus Romani

mni Juris(*novis Senatusconsultis, plebiscitis, aliisq; Cæsarum sancitis* adauctum) ad tam immensam molem crevit, ut *Causarum Actoribus* improbus labor videretur; *processum judiciarium* in scripta redigere, regulásque ex tanto legum acervo depromere, quibus Clientis sui *partes* in Jure tueri desudarent. Quare Judices hisce in *militiâ togatâ* Conscriptis *Honoraria* proponere tenebantur; ita tamen *ut pro modo litis, progr. Advocati facundiâ, & fori consuetudine, & Judicii, in quo erat acturus, æstimationem adhiberent.* Hinc constat Litigatores suis viribus diffisos *advocationem* à Judice semper postulásse. Nam licèt leges tum Atticæ, tum Romanæ causam suam perorandi potestatem privato cuivis concesserunt; suadet tamen necessitas Oratoris in Juris apiculis versatissimi operam conducere, nisi

Heraldus de rer. Judicat. auct. lib. 2. c. 6. par. 3.

Obser. Salm. ad Jus Attic. & Rom. p. 850.

l. 1. par. 10. D. de extraor. cognitionibus.

de bonâ causâ rem suam inconsultè agendo cadere quis malit. Sic ægrotus Medici auxilium implorat, omnésque in arte suâ peritissimum quovis pretio sibi comparare concupiscunt. Unde mirari subit *novandi studium*, quod in hoc prurigente seculo hominum animos incessit, qui causarum Patronos in studio legum ab unguiculis enutritos à foro procul abigere conantur, quorum vicem supplere volunt *Sartores*, *Cæmentarios*, *Fabros ferrarios*, qui licèt Juris ordinarii rudes, ipsóque mentis cardine emoti appareant, *Novellas quasdam* ex *officinâ* malesani cerebri nuperrimè excusas, palàm venditant, iisque Judicum aures obtundunt. Hujus farinæ Advocatos Sobrius ille Apologista nobis commendat. Quidni etiam *ejusdem artis filios* in Judices cooptaret? Tales, inquam, qui sententiam non *prout leges jubent*, vel recta ratio dictat, proferant, sed potiùs *primum motum*

alienatæ mentis vel *pectoris divini halitu fœcundi* dictamen sequantur. Nec malè convenit similes Judices ex corpore similium Advocatorum sumi.

VII. Diximus Caussarum Patronos aut nullam omnino mercedem, aut saltem legibus definitam in primis temporibus reportâsse. Sequens verò ætas Advocatorum mores ita corruperat, ut lucro ultra modum inhiantes *venalem linguam, bovemq; in ea* tacitè omninò recubantem tenuere. In hunc morem alludit Aristophanes his verbis: ὅτε διδάσκοιεν ἀργύριον μὴ διδῶ λέγοντα νικᾶν, ἢ δίκαια ἢ ἄδικα. Munusculis probè palpati orationem *ancipitem*, quâ *partes ex æquo* sublevantur, effundunt. Ex hisce Advocatorum corruptelis controversia nata motáq; est inter duo Jurisprudentiæ lumina *Alciatum* & *Decianum*; quorum prior [illegible] rationum momentis [illegible]

Aristoph. Nubel. Act. 1. Scen. 1.

Alciat. 12 parerg. cult.

lum, qui Patronum agens unguibus aurum corradere assuetus est, integri moris Judicem nunquam futurum. Cujus sententiæ fundum ponit auctoritatem Palladæ veteris Epigrammatistæ.

Anthol. l. 1. εἰς κρίτας κῳ. μγ.

Μή ποτε δουλώσασα γυνὴ δεσποινα γένοιτο
Ἐπὶ παροιμιακὸν. τῷ δ' ἐὸν ὄμματον ἀρᾶ.
Μήτε δίκλω δικάσειεν ἀνὴρ γεγονὼς δικολάκτης,
Μήδ' ἂν Ισοκράτης ῥητορικώτερος ᾖ.
Πᾶς γὰρ ὁ μωδυρτὴν ἐθίσαιμεν, ὑδ' ἐν ἑταίρῃ
Σεμνὸν ἔρειν δίκαζαι μὴ ῥυπαρῶς δυνάσῃ.

Quod Epigramma Latinè sic redditur.

Imperium quæ serva fuit, ne sumat herile.
Hoc vetus est: aliud nunc tibi dico novum.
Quisquis Causidicus fuit, is ne judicet unquam,
Rhetore sit quamvis doctior Isocrate.
Venali vir linguâ, & opes acquirere suetus
Judicium haud unquam sordibus absq; feret.

Ver-

Versipilles enim Patroni ad istam animi castimoniam, judiciíque firmitatem, quam in Judice requiro, rarissimè assurgunt. Hi enim bifidâ fori loquacitate, quam Aristophanes ἄμφω τοῦ λόγου nuncupat, sæpius exercitati ob litigatorum oculos nebulas suffundunt, quibus *ulcus animi*, judiciúmque *ære* coemptum latere faciant. In horum censu Eutropium διχολάκλων διχοβάσκον *rabulam forensem* Claudianus reponit, cujus laudem sic decantat,

-Nec bellua tetrior ulla est,
Quam servi rabies in libera terga furentis.

Claud. in Eutrop.

VIII. Alterâ verò parte Decianus *ex more gentium*, ex Imperatorum decretis, ex rationum pondere evincit *Juris studiosos ex Advocatorum* ordine in *Collegium Judicũ promoveri debere*. Satis supérq; innuimus Ebræorum *Shophetim* in Academiis studio Juris dicatis initiatos fuisse.

Deciani Apologia adversus Alciatum cap. 7.

fuisse. In quem usum veteres Phœnices Hebronensem, & Judæi Babylonici Surensem, & Pumbeditanam Academias fundârunt; nostro verò seculo Judæi Juris Talmudici Scholas frequenter aperuerunt, quarum celeberrimæ Constantinopolitanæ, Thessalonicenses nostrâ omnium memoriâ floruere. Ex hisce, inquam, *Rasi*, *Rabbini*, *Rabbenu*, cæteríque Magistrorum gradus prodierunt, qui omnes dignitates in Republicâ Hebraicâ jure optimo sibi vendicârunt. Idem mos Athenis invaluit, ut Caussarum Patroni Juris elementa in Rhetorum scholis degustarent, qui postquam per aliquot annos in palæstrâ forensi exercerẽtur in Senatũ Areopagiticum, sive Heliasticũ tandem fuerunt cooptati. Quid memorem Collegia, quæ Hetrusci Romaníque, Juris, tum Ecclesiastici tum Civilis, studio dicata, fundârunt: inter quos Pontifex maximus, legum Antistes & summus

summus interpres censebatur? Quot sequioris ævi *Pragmatici* non solũ *Prætoriam* dignitatem, sed *Consularem* adepti sunt, C. Terentii Varronis & Ciceronis exempla abundè testantur, quorum alteruter ex humili loco natus *factus est ex Rhetore Consul.* Justinianus verò plures Advocatos in Novellis suis recenset, quos Judices constituit, cujus exemplo Cæsares Germanici Jurisperitos ex Advocatorum classe in Judicum Collegium transferre solent. Et rationi consentaneum est, ut qui technis fori sæpius sunt assueti, ad Patronorum fallacias explicandas designentur; Ipsi enim omnes decipulas atque insidias, quibus improbi & versuti Advocati consueverunt uti, probè cognitas habent, & Judices facti faciliùs eas effugere poterunt. Nov. 82.

IX. Non difficile videtur (ut Alciati rationibus jam satisfaciam) ex tot Jureconsultis, qui forum frequentant, unum aut alterum

terum virum probum, & decocti pectoris seligere, qui judiciario munere fungatur. Juris enim scientia non corrumpit mores, neque munera accipiendi consuetudo Advocatum dignitatis Judiciariæ incapacem reddit. Æquum & honestum postulant, ut hi *forenses milites* aut ex publico ærario, aut ex litigatoribus *conductæ operæ* mercedem accipiant. An Gregarius miles ad munus Centurionis, Tribunive promoveri inhabilis redditur, quia in militiæ sacramento *tricena forsan stipendia meruisset?* Si navium rectores ex *nautarum corpore* sint desumpti; si artes, etiam illiberales, Professores suos nactæ sint ex iis, qui multos annos in earum studio collocarunt; Quidni etiam Jurisprudentiæ studiosi ad omnes dignitatis gradus, (quos Justinianus sequacibus suis tribuit) promoveantur? Maximè interest Reipublicæ Juris Romani Cultores in suo sinu semper fovere: licèt enim

Jus

Jus Municipale ad lites, quæ inter Cives exoriri solent, dirimendas sufficere videatur; ad Belli tamen & pacis artes excolendas subsidia ex Jure Gentium quærere oportet. Ecquis enim legationis munus in Reipublicæ salutem propriámque laudem obire queat, qui in omnium *Gentium Jure* non sit probè institutus, neque *mores* hominum *multorum vidit & urbes?* Sunt enim Legati tanquam in *altâ speculâ* constituti, unde terrarum orbem longè latéque prospicere, lucernámque aliis accendere possint, cujus beneficio Respublica, tanquam navis in procelloso mari agitata, ad optatum portum deducatur.

DE DOTIBUS, SIVE INSITIS SIVE ADSITIS, QUIBUS JUDICIS ANIMA ADORNARI DEBET.

Cap. Consp.

Paragr. I. *Aliud est officium Judicentis, aliud Judicis Pedanei, hoc Mercenarium, illud Nobile vocatur. Munus Nobile, quod Judici majori incumbit, describitur. Mercenarium est vel universale, vel particulare. Regulæ in utroq; à Judice tenendæ proponuntur.*

II. *Moyses ex Jethronis consilio* προνοίαν *tanquam palmariam virtutem in Judice requirit. Eandem postea Josaphat rex, & Fridericus I. Imperator Judicibus suis commendârunt. Heliastæ per Deos majorum gentium juramentum*

mentum concipiebant, se jus secundùm leges unicuiq; dicturos.

III. Firmitas animi à Judice exigitur, quâ inordinatos motus compescat, & Jus absq; omni προσωποληψία litigantibus reddat. Non debet noxiorum precibus flecti ad misericordiam. Non vacat culpâ, si à verbis legis paululùm deflectat.

IV. Mendax lingua eodem censu ab Ebræis reponitur cum Idololatria & illicito concubitu. Calumniatoris lingua à Judæis לשון הרע Tertia appellatur, quia tres homines uno ictu trucidare solet. אבק לשון הרע pulvis linguæ malæ quid sit apud Hebræos?

V. Δωροδοκία Judicum damnatur inter Judæos. Judici è trivio petito שכר בטילהו mercedem cessationis suæ concesserunt. Veteres Justitiam sine manibus depinxerunt. Sordium corruptela inter Atticos juramento interpositò coercebatur. Qui sententiam apud veteres Romanos

manos venalem protulisset, pœnâ Capitis mulctabatur. Apud modernos æstimationem litis parti læsæ pendebat.

VI. Partes ex æquo audire Judicum esse officium non tantùm ex Judaicâ, sed Solonis lege astruitur. Eundemq; morem in foro receptum non tam Oratores, quàm veteres Poetæ comprobant. Judex sit litigatorum communis ἀνεγκλ., cujus signa Diagnostica sunt μὴ ὀξὺς ὀξὺς.

VII. Quantùm forum Ebraicum συκοφαντίαν abhorrebat ex Talmudistis discamus. Judices Athenienses jurejurando obstricti fuere secundùm populi scita, & Quingentorum Senatus-consulta sententiam ferre. Magistratus Romani intra 5 dies ab Electione juramentum ad leges observandas præstiterunt. Obedientiam præstare legibus non tenemur, quæ aut naturæ, honestati, aut pietati repugnant.

VIII.

VIII. *Ædes Judicis à Cicerone Oraculum Juris appellantur. Duos Sales, unum ſapientiæ, alterum conſcientiæ in Judice requirit Baldus. Miſerum eſt ex alieno pectore ſapere. Ignorantia Romanorum Judicum à Perſis irriſa eſt.*

IX. *Judex debet eſſe Innocentiæ templum, Temperantiæ ſacrarium. Judices Areopagitici triplicem ſolitudinem ſubierunt. Lege cautum erat nè Areopagitæ laſcivas Comœdias componerent.*

X. *Judex omnibus affectibus Amore, Odio, Spe, Timore, Iracundiâ carere debet. Perturbationes judicium corrumpunt, non aliter quàm Ictheritius morbus oculorum aciem pervertit.*

Cap. IX.

Par. I. EMenſi ſumus latum mare jam ad portum deſtinatum contractis velis curſum di-

dirigamus; ubi ad littus derepentè appulsi totius itineris compendium *pictis quasi tabulis* uno intuitu monstremus; i.e. Judicem omnibus numeris absolutum, sed certis regulis circumscriptum ob oculos ponamus. Quarum *aliæ* auctoritatem Prætoriam & Jus dicentis officium, quod *Nobile* passim habetur, spectant: cujus generis sunt *Judices litigantibus dare*; *Jubere cavere Prætoriâ stipulatione*; *Sententiam Judicum à se datorum exequi*; *Bonorum possessionem dare*; *mulctam dicere*, *pignora capere* &c. De quibus (cùm Jurisdictionem potius quàm nudam Judicis notionem redoleant) verba facere supersedebimus. Aliæ *ad Mercenarium* (ut volunt) Judicis officium referuntur: cúmque duplex, *Universale*, *& Particulare* Judici munus incumbat; regulas primò generales, deinde speciales ab ipso tenendæ proponuntur. 1. Ut sibi caveat ab

l. 1. l. 4. de Jurisdict. leg. à Divo. 15. de re Judic.

iis

is affectibus, qui in virum sapientem humanitus cadere solent. II. Ut erga Deum & proximum moderatum se gerat, quod inter præcepta Judiciaria Ebræorum, Græcorum, Romanorum primas semper obtinuit.

II. Exordiar à Jethronis consilio, quod Moysi in Judicibus eligendis suggessit, idque duplici constat *præcepto*, quorum unum *affirmativum*, alterum *negativum*. 1. *Affirmativum* in hæc verba se prodit, ואתה תחזה מכל העם אנשי חיל יראי אלהים *Et tu videbis ex omni populo viros virtutis, timentes Deum*, Exod. 18. v. 2. i.e. θεοσεβεῖς qui Deum imprimis colant. Inde est quod Josaphat Rex Judicibus, quos per omnes Judææ urbes constituerat, in hunc modũ præcepit. ועתה יהי פחד יהוה עליכם Paral. 2. c. 19. v. 7. εἰσὶ γὰρ μεθ' ὑμῶν. Par enim est, ut *supremi judicis* timor *inferioris* animum percellat, intráque Justitiæ limites cohibeat,

cohibeat, ante cujus Tribunal omnis iniquitatis rationem redditurus est. Summâ laude Fridericum I. Imperatorem Annales prosequuntur, eò quod in consilium adhiberet non solùm Juris peritos, sed *quibus ipse timorem Domini ineſſe noverat.* Ejusdem pietatis larvam hujus ætatis *Legulei* obtendere non erubescunt, qui *Boni viri* officium nunquam præstitêre. Heliastæ Athenienſium Judices tantâ superstitione Deos ante Tribunal invocabant, ut solenne jùramentum se jus secundùm leges unicuique dicturos hâc ferè formulâ concipiebant: Ἐπόμνυμι, Δία, Ποσειδῶνα, Δήμητρα, ἐπάρασθαι ἐξώλειαν ἐμαυτῷ καὶ οἰκίᾳ τῇ ἐμαυτοῦ, ἢν μὲν τάδων ἀδικαβαίνωσιν ἐνόρκοντι μὴ καλὰ πολλὰ καὶ ἀγαθά. *Jovem, Neptunum, Cererem vindices testor, imprecorq; exitium ipse mihi, & familiæ meæ, ſiquid horum non observavero: ſi fidem contrà datam liberavero, omnia prospera atq; fausta.*

Gunth. lib. 8. Lig. 447.

Demoſth. in Timocrat. Jusjur. Heliastarum.

III.

III. Secunda Judicis virtus in illis Jethronis vocibus eluceſcit: אנשי *viros virtutis* (ſeu ut Syrus Interpres legit) *Fortitudinis.* Qui tantâ animi firmitate & constantiâ præditi ſint, ut affectus animi (quales cenſentur miſericordia, odium, ira) inter ſe arietantes retundere valeant, & compeſcere. Hujus generis fortitudinem in Judice poſtulat Philo: ἀνδρείαν οὖν τὸ ἀνένδοτον ωρὸς ἑκασίας καὶ ἐπιτιμίας καὶ τὰς τῶν ἐλεοκότων πιμωρίας. *Fortitudinem & Conſtantiam, ne ſupplicationibus & miſeratione flectatur in pœnis in eos ſtatuendis, qui criminis alicujus ſunt convicti.* Phil. Jud. in l. de Jud. in princip.

Debent ergo Judices (teſte Platone) eſſe τὸ ἀνήκεστον ἀπαράδοτοι, *in cauſis* præſertim *civilibus* ab omni miſericordiâ abſtinere; ne ejus prætextu fraudem ſubeſſe quis ſuſpicetur. Iniquum enim videtur (Auctore Terentio) *adimere diviti, quod per miſericordiam addat pauperi.* Si quis Plato l. 6. de Leg. Terent. in Phorm.

in *Criminalibus* miseratione aliquâ flectatur, ut aliud judicet, quàm quod *rigor Juris* postulat, excusatur à *pœna* licèt non à *culpa*, quia in iis quæ LL. definita sunt non est misericordia facienda.

v. Arnis. c. 15. p. 386.

IV. Tertiò ex mente Jethronis Judices debent esse אנשי אמת *viros veritatis seu veraces*. Nullum enim peccatum inter Ebræos mendaci linguâ gravius existimatur. Eodem sensu cum *Idololatriâ*, *illicito Concubitu*, *sanguinum profusione* לשון הרע *lingua mala* (teste Maimonide) reponitur. ולשון הרע נגר כולן *& lingua mala hi omnibus æquivalens*; eandémque cum illis pœnam in hoc seculo subire, & ab omni spe futuri prorsus excidisse Rabbini audacter asserunt. Nam qui mendacia seminat, seu (ut cum Appellis loquar) מוציא שם רע עיר חבירו *promus male famæ contra proximum suum*, tres homines uno ictu trucidare solet,

לכם זרו למקבלו ולאמרין עלוי solet *Loquentem, audientem, & illum de quo dicitur.* Hinc Aramæi Calumniatoris linguam הליתא *tertium*, seu potius *tricipitem* facetè admodum nominârunt. Judex ítaque Jethronensis à maledicentiâ, & jocosis convitiis, quibus proximi famam Sycophantæ denigrant, penitus abstineat. Nam non decet venerandum Judicis sermonem באבק לשון הוץ *in pulvere linguæ malæ* omnino versari, sed potius verba recto *judicio consona* expromere, quibus lites inter vicinos ortæ terminentur; ita tamen ut דין אמת *veritatis judicium* litigantibus ex æquo distribuat. Hinc Græcus Interpres *veraces Angles*, i. e. justos reddit, cùm *veritas Judicialis* in solâ justitiâ consistat.

V. Quartum Judicis præceptum à Jethrone sic effertur negativè שנאי בצע *odientes avaritiam.* Chaldæus Interpres לקבלא ממון qui oderint *accipere* Exod. 18. v. 21.

Paral. 2. c. 19. *cipere pecuniam.* Versio Samaritana legit *prædam:*
Exod. 23. v. 8. Syriaca *munus & fraudem.* Græca verò, à Textu longissimè recedens, ὑπερηφανίαν *superbiam* transtulit. At omnes penè versiones in eo conveniunt, ut Judicum σωφρονίαν damnent. Quæ lex in omni ferè seculo apud Ecclesiam Judaicam invaluisse fertur, שלא יקח הדין שוחד מבעדי הדין אפילו
Deut. 15. לדין דין אמת *Nè accipiat Judex munus à litigantibus, ne quidem ad judicandum judicium veritatis,* vel ut alibi occurrit זכות זכאי ולחייב חייב *ad absolvendum justum, & ad condemnandum nocentem;* ne muneribus assuetus ad iniquitatem in judicio committendam facilè prolabatur. Tam severè in hujus legis violatores tribunal regium animadvertebat, ut non tam המקבל *qui accipit munera,* sed הנותן *qui dat,* debitas pœnas subire cogeretur. Interim notandum est morem in foro Hebraico inole-

visse

tisse Mechanico Judici, qui componendis litibus unicè vacaret, *honoraria* proponere, quæ Magistri שכר בטילתן *mercedem cessationis sua vocitârunt.* Nec Hebræi tantùm Judices, sed Ægyptii & Thebani à muneribus abstinebant: eo fine Justitiam cæcam & fine manibus depingebant, ut nec oculos haberet, quos in cujusquam gratiam deflecteret; nec manus (teste Plutarcho) quibus munera acciperet. Athenienses verò, ut hasce Judicum sordes reprimerent, Jusjurandum in hanc formam Heliastis suis proponebant. Οὐδὲ δῶρα λήψομαι ἐγὼ Ἡλιαστὴς ὢν ἐγὼ, οὔτ' αὐτὸς ἐγὼ, οὔτ' ἄλλος ἐμοῦ, οὐδ' ἄλλου ὑπὲρ ἐμοῦ, οὐδὲ τέχνῃ, οὐδὲ μηχανῇ μιᾷ μιᾷ. *Munera non accipiam, propterea quod Judex in Heliæa sedeo, non ego ipse, neq; alter mihi, neq; ullus me conscio, nullâ arte, nullâ fraude.* Si Judex sordibus corruptus venalem protulis-

v. Arnis. de Rep. c. 15. p. 393.

Diod. l. 1.

Demosth. in Timocrat.

Herald. de Auct. Rer. Jud. c. 7. l. 1. p. 83.

set sententiam, tantæ perfidiæ convictus gravem mulctam lege Atticâ subivit. Cuivis licuit apud Thesmothetas postulare illos, qui Heliæam, aut quodvis aliud Athenienſium forum muneribus corrumperent. Ἐὰν τις σωφρονῇ, ἢ σωφρονιζέτω τὴν Ἡλιαίαν, ἢ τὴν Διηγητὴν ἢ τὴν Ἀθήναιον, ἢ τὸν βουλὴν ἢ τὸν δικαστήριον. Romani tamen veteres (Auctore Gellio) hujusmodi noxios capite puniebant, qui postea aut Curiâ tantùm summoti, aut ad tempus relegati (ut loquitur Paulus) scelus luebant. At qui injuriam erat passus (teste Ulpiano) agere poterat, & ab eo litis æstimationem repetere; quæ erat pœna Judicis, qui ὁπὶ μισθῷ δικάζειν audebat.

Demoſt. ὲν τῇ πρὸς Στεφάνου ψευδομαρτυριῶν β.

Paul. l. 5. sent. Tit. 28. ad leg. Jul. repetund.

Ulp. l. sed cum. 14. par. ult. de Jud.

Lucian. l. de Consc. Hist.

VI.

Exod. 23.

שלא ישמע הדיין טענת האחד שלא בפני בעל דינו

Judicis non esse audire litem, nisi

νῷ *præsente adversario*. Cum hoc Hebræorum præcepto ad Hotting. Jur. mussim quadrat vetus lex Hebr. p. 104. Solonis, quæ in Heliastarum juramento intertexta passim occurrit, ἡμιζόμαι τῶν καταγόντων καὶ ἀπολογουμένων ἴσον ἀμφοῖν. *Utramvis partem ex æquo audiam*. Quam auream regulam non solùm Oratores Attici, Demosthenes, Æschines, Andocides ante Judicum oculos, quâvis arreptâ occasione obtendunt; sed veteres poetæ eandem cantilenam, quasi esset de jure Gentium, occinunt. Phocyllides,

Μὴ δίκαιον δικάσῃς πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Eodem redeunt versus Aristophanis in Vespis,

Ἦν σοφὸς ᾖ, ὃς ἢν ἕρπῃς πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς οὐκ ἂν δικάσῃς.

Horum insistentes vestigiis Seneca, aliique Latini Poetæ *æqualitatem* (hinc Judices ἰσοδίκαι Juris & negotiorum exæquatores dicuntur)

tur) à Judice inter partes observandâ passim decantant. Indè κανὼν καὶ ἰσόσταθμον *Signa* recti Judicis *Diagnostica* ab Historicis celebrantur. Lucianus:

Luc. de Conscr. Historia. Ἰδοὺ δίκαιος, ἴσους ἀεὶ τοὺς ἀγῶνας, ἐκ τοῦ μὴ διαπέρω τὴν ἀκοὴν πλήρη λόγου. Easdem appellationes Judici æquitate prædito Thucydides & Plutarchus passim ascribunt.

Thucyd. lib. 3. Plut. in Arist. l. 17. c. 2. Ad eundem sensum (auctore *Gellio) referri possit lex 12 Tabb. *Ante meridiem causam conscito, cùm perorant ambo præsentes*, i. e. quando Judex nullo habito personarum respectu se communem utriusque partis ἀκροατὴν exhiberet, sententiamque ex utriusque petitionibus conflatam æquissimam ferret. Quantis convitiis Seneca Claudium insectatur eo quod *unâ tantùm parte auditâ, sæpè & neutrâ* judicârit, tantis laudibus Cedrenus Theophilum Imperatorem prosequitur: cùm ille uxoris

Seneca de mort. Claud.

Ced. in Theop.

sux

hæ fratrem in medio foro cædi curaverit, quòd affinitati confisus, servitutem, quam vicinæ mulieri sumptuosis suis ædibus fecerat, tollere negaret.

VII. 6°. Huic affinis est regula, quam de Judice tradunt Hebræi, דרשיות בעלי הריב כלומר שלא יבבר הדין אחד מבעלי הדין יותר מן האחר *ut pari loco habeant partes litigantes, neq; Judex unam alteri præferat.* Quæ verba Talmudistæ sic explicant. בצרק תשפט עמיתך שלא יהא אחד עומד ואחד יושב ואחד מרבר כל צרכו ואחר אומר לו קצר רבריך *Justè judicabis proximum tuum, ne altero stante alter sedeat, alter sufficienter animi sensa exprimat, alteri dicatur brevitati stude.* 7°. Antiquis Legumlatoribus placuit, ut Judices calculum judicialem non aliter acciperent, nisi prius sacramentum præstitissent, omni modo se cum veritate & legum observatione judicium disposituros: tale jura-

l. Rem. non novam. 14. c. de Judic.

juramentum Attici Heliastæ concipiebant, Ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους καὶ τὰ ψηφίσματα τὰ δήμου τοῦ Ἀθηναίων, καὶ τῆς βουλῆς τῶν Πεντακοσίων. *Sententiam feram secundùm leges & populi Athenienſium ſcita, & Quingentorum Senatus-conſulta.* Cui Sacramento Pollux ex moribus Atticis hanc caudam adaptat. *Feram ſententiam de iis quorum extant leges, ut jubent leges, quorum non extant optimâ mente.* Nemo inter Romanos magiſtratum gerere permittebatur, niſi intra 5 dies ab electione ad leges obſervandas jurejurando aſtringeretur. Indè eſt quod Valerius Flaccus Curulis Ædilis honore exciderit, quia jurare *more Majorum* (*erat tum Flamen Dialis*) religio vetabat. Ratio ſuadet, arbitrium Judicis *juri & æquitati* fore illigatum, ut à legum verbis quamvis iniquarum diſcedere (quod Chrondas olim monuit) ei nunquam liceat. Maxima injuria fit

Demoſth. in Timocrat.

Liv. l. 31.

Geil. l. 10. c. 15.

Diod. l. 12.

Legi

Legi, *si à minore, & ministro suo*, cui de jure imponit necessitatem, infringatur. Peccatur etiam in majestatem (cujus est ferre leges) si inferior potestas superioris legem abrogare audeat. Sin verò leges oppugnaverint *honestatem*, *pietatem* vel *naturam*, illis obedientiam præstare non tenemur; quia Magistratui, qui ultra propriam jurisdictionem auctoritatem extendit, non parendum est.

VIII. Turpe est Judici jus in quo versatur ignorare; ejus enim ædes (teste Cicerone) tanquam Oraculum juris omnibus patere debent: unde *duos Sales*, quibus Judicis anima condiri asserit Baldus, mutuò accipiant; quorum *altero Sapientiæ*, i. e. exquisita omnium legum peritia, firmum judicium stabilitur, *altero Conscientiæ* voluntas dirigitur. Si judex Sale jurium probè sit imbutus, rectam Conscientiam retinere facile possit.

Cicero l. 1 de L. L.

Bald. in l. 2. C. de sent. ex. brev. recit.

At

At dicas hunc ignorantiæ morbum facile mederi, si jurisperitos nacti sint συγγενεῖς. Sed miserum videri ex alieno pectore sapere Persæ olim in animum induxerunt, qui magno risu Romanos exceperunt, eo quod viri militares, omniúmque Amian. l. 23. literarum rudes Judiciarium munus sustinerent, quorum à tergo literati stantes jus suggerebant. Cùm prudentis viri officium sit non alieno, sed proprio niti consilio, juxta Messalæ Valerii verba l. 1. Annal. apud Tacitum, *Se in iis quæ ad Rempublicam pertinent non usurum consilio, nisi suo.* Accedunt, quod multi casus per jura nondum definita incidunt, qui relinquuntur arbitrio Judicis *per doctrinam* decidendi.

IX. Debet Judex abstinere ab iis, à quibus alios prohibet, nè ex fonte juris nascatur injuriarum occasio, juxta illud Ovidianum,

Sic agitur censura, & sic exempla parantur,

Cùm

Cùm Judex, alios quod monet, ipse facit.

Turpe enim videtur judicem ab alio judicari, vel minores fures à majoribus (deridente Xenocrate) ad patibulum duci. Sit Judex (ut præcepit Rex Theodorus) Innocentiæ templum, Temperantiæ sacrarium, ara Justitiæ; quas virtutes ab Areopagitis Athenienses exigebant, quos triplici ἀνακρίσει exercuerunt, ut vitiis purgati ad Areopagum ascenderent; qui tantâ gravitate vitam instituerunt, ut cautum esset lege ne quis Areopagita Comœdiam, quam lascivam nimis credebant, scriberet: ὡς σεμνὰ ποιοῦν καταβάλλει Ἀρεοπαγίτας.

X. Ultimo *inculcandum est Judici à Furis & æquitatis tramite nunquam deflectendum: neq; amore & gratiâ, neq; odio, & inimicitiâ; neq; munerum respectu*, Quint. l. 6. c. 3. *neq; ullius alterius rei gratiâ.* Quando Icteritius morbus aut amor oculorum aciem pervertit, [illegible] ni

de colore, nihil de formâ judicare valeamus: ita si perturbationes judicium obnubilant, nullum negotium aut consilio aut rectâ ratione transigi possit. Amor & Odium

Phil. de Judice. (*qui affectus ad gratiam à Cicerone referuntur*) ἐπιτιθέασι τὴν γνῶσιν τοῦ δικαίου· *Juris & veri cognitioni officiunt*; quin & dolor & spes suas partes in Judiciis corrumpendis frequenter agunt. Inter pestes, quæ in foro grassantur, φόβον enumerat Chrysostomus, quando Judices potentiorum minis aut factionibus territi

Hom. 4. de Lazaro. διὰ φόβον κατασκήπτοντα, Jus sibi cognitũ dissimulant, & quasi produnt; quod

Origin. l. 6. c. 3. Josepho est καταψεύδεσθαι τῆς ἀληθείας *prævaricari*. Idem ille ambitiosa Judicum ingenia per κολακείαν seu artes adulatorias corrumpi asserit. εἰ μὴ κολακείαις τισὶν ἔδωκαν ἄφεσιν τοῦ ἀνθρώπου; *an blanditiis & adulationibus sententiam suam condonaverint?* In eundem

Chrysost. Hom. de dec. Millium debitore.

injustitiæ nexum nos ducit Error & Ira-

lacundia. Quæ duo vitia in populari regimine Athenienſium maximè invaluiſſe, maximámq; ei calamitatem peperiſſe Græci, tum Oratores, tum Hiſtorici, palàm profitentur. Quare Judex (cujus mens temerario affectuum impetu abripitur, & quaſi mancipatur) non caret culpâ, nec penè dolo; nam providere debuiſſet, nè hâc perturbatione ad injuriam faciendam abriperetur. Huic crimini Areopagitæ remedium parabant; Noctu enim (ut excluderentur perturbationes) in Areopago conſidebant, cauſáſque teſte Luciano) ἄϊδ᾽ παθῶς ἢ σκοτεινὰς perorabant. Alex. ab Alex. l. 3. Luc. in Hermot.

Hactenus de regulis quæ perſonam Judicis reſpiciunt; ſequuntur aliæ magis ſpeciales, quæ in officio exequendo Judicem dirigunt.

DE

DE
OFFICIO JUDICIS.

Cap. Conſpec.

Par. I. *Certi Canones, quorum adminiculo Judex lites dirimat, proponuntur. Factum à Judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non eſt. Judicium familiæ Erciſcundæ & Communi dividundo ad Mercenarium Judicis munus ſpectat. Athenienſes actionem exceptione fori adverſus Judices Juriſdictionis ſuæ modum excedentes dabant.*

II. *Conſuetudines & ſtatuta, ſi allegata fuerint, vim legum obtinent. Judices Reſcriptis, aut Pragmaticis formis in medio litis emiſſis minimè pareant. Stricti Juris perverſitas ex æquitate corrigitur. Heliaſtæ Jurejurando obſtricti fuêre Æquitatem obſervare.*

Lex

Lex Testamentaria quandoq; ex Æquo & bono, quandoq; ex ratione scripti Juris interpretationem suscepit. Æquitas extrinseca quæ sit? Hujus abrogandi potestatem Principes sibi reservârunt. Sit penes Judicem asperitatem Juris Æquitate intrinsecâ temperare.

III. Judicis sententia non est præcipitanda. Ad pœnitendum properat citò qui Judicat. Antoninus Philosophus integrum diem in negotiis transigendis consumebat. Subitanea Tarcarum truculentia damnatur.

IV. Quousque Causæ decisio protelari debet? Judex, qui ultra Edictum tempus litem finire neglexerit, ab officio removetur. Actor Contumax quis dicitur? Quo pacto Contumacia purganda? Quid est Eremoditium apud Romanos? Hujus criminis damnatus mille drachmis inter Atticos mulctabatur. Quo pacto Eremoditii

ditii restauratio fiat inter Atticos?

V. Sententia Judicis ad æquitatem inflectens parti Reæ succurrere debet. Ex Ebræorum placitis Proximi facta dictaq; in meliorem partem sunt interpretanda. Secundum Reum, quando calculi sunt pares pronuntiatur. Jus Romanum in processu Judiciario parti Reæ magis favet, quam Actori.

VI. Judex plenè de tota causa cognoscere tenetur. Ebræorum Juriſconſulti judicium ex conjecturis proferre prohibentur.

VII. Testium fides, morumq; gravitas potius examinanda quam numerus. Ebræorum Judices non niſi fœderatos & integræ existimationis viros ad testimonium dicendum admiserunt. Homini sceleſto, aut rerum imperito nulla fides adhibetur. Quatuor signa Diagnoſtica testis συμπλήττοντος assignantur.

VIII. Non licet in eadem causa bis judicium

judicium adipiſci. Intereſt Reipublicæ, ut litigii ſemina ex animis Civium evellantur.

IX. *Caveat Judex, ne Judicium coram ſe agitatum fiat Eluſorium. Duæ aliæ regulæ à Judice tenendæ proponuntur.*

X. *Epilogus.*

Cap. X.

Par. I. Cum humani Actus latibula altè inveſtigent, difficilè eſt regulas tradere, quibus Judex lites cujuſcunque generis è *cubilibus ſuis*, & *circumſtantiarum diverticulis* in apricum proferat; Juſtitiæque tramitem ſequi cogat. Impræſentiarum propoſito noſtro ſatisfeciſſe videamur, ſi certos Canones è variis juramentis, tam inter Atticos & Romanos, quàm apud Germanos præſtitis, ſeligamus, qui officium Judicis in genere tangunt ipſúmque dirigunt; ídque tum in Juriſdictione

Jurisdictione finiendâ, tum in cognitione & judicatione causarum audiendâ ac terminandâ. I. *Caveat Pedaneus Judex ne modum jurisdictionis suæ sibique positum excedat.* Nam *factum à Judice*, (ut inquit Paulus) *quod ad Officium ejus non pertinit, ratum non est.* v. g. Si supra Jurisdictionem suam, vel extra territorium jus dicat, vel limites *formulæ sibi præscriptæ* excedat, nihil actum à lege pronunciatur. Ad officium Judicis mercenarium pertinet Judicium *familiæ erciscundæ & communi dividundo.* i. e. ut res communes inter cohæredes aut consortes dividat, aut si res commodè divisionem non recipiant, factis compensationibus adjudicet: quod si manus ultra porrigat ad *res non hæreditarias, vel non communes* disponendas *actio irrita* habetur; quia ultra id, quod in judicium deductum est, excede-

l. 3. ad Plaut. l. ult. Tit. de Jurisd. l. 1. par. 1. Tit. de Off. l. 1. & 3. Cod. tit. Si a non compet. Jud. l. 14. Tit. com. divid. l. 7: Tit: de Except:

re

ut poteſtas Judicis non poteſt. Athenienſes actionem *exceptione* fori adverſus Judices dabant, ἢ παραγεγραφὴ ἀπολαγχάνειν περὶ ὧν μὴ εἰσὶν ἐπαγωγεῖς. *Exceptione utitur, ſi injus vocetur ad Magiſtratum, cujus ea non eſt jurisdictio. Eadem* etiam *de Jure* valet in Contractibus περὶ τῶν μὴ γιγνομένων ὧν Ἀθήνησι, ὥσπερ εἰς Ἀθήνας συμβολαίων. *qui neque omnino Athenis facti ſunt, neque aliunde merces Athenas importare cauſant.*

II. 2°. *Sententiam ferat ſecundùm jura Communia, & honeſtas conſtitutiones, inter quas conſuetudines bonis moribus & legibus conformes, itémque ſtatuta, ſi allegata fuerint, jure optimo locum obtinent.* Lex non præſumit loci conſuetudines, (*cum ſint facti*) à Judice cognoſci. Quare opus eſt, ut hæ legitimis modis fuerint probatæ. Interim Judices caveant, ne *reſcriptis*, aut *pragmaticis formis* in medio litis emiſſis pareant; aut ſententias *legibus mitiores* (quæ, Auth. Jubem. h.t. 12.

t. ſte

teste Symmacho, *corruptæ* videntur) proterant. Huic è diametro opponitur alia regula.

3° *Ordo Judiciorum à Judice haud temerariò mutandus est: at ubi formulæ strictè nimis præscribantur, lexq; à recta ratione, & Legislatoris mente (quæ in aliis juris apiculis se prodit) deflectere videtur; ibi Judici incumbendum ex Æquitate perversas corrigere, & mutilas supplere.* In hunc sensum Heliastæ (auctore Polluce) juramentum concipiebant. ψηφιῶ δὲ ὧν ἂν οἱ νόμοι ἐῶσιν, καὶ νόμους ὑπερῶδικα· ἐὰν δ' ὧν μὴ ἐῶσι, σὺν γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ, i. e. *Sententiam feram in iis, de quibus legibus cautum est, secundùm leges; de quibus verò legibus cautum non est, quàm justissimi potero.* Idem præcipit lex de Testamentis scripta, quæ interpretationem (in iis quæ extra testamentum incurrunt) ex *æquo & bono* suscipit; Ea tamen, quæ ex ipso testamento oriri solent necesse esse secundùm Juris scripti rationem

expediri. Ex quo textu duplicem æquitatis rationem elicio; quarum unam *Intrinsecam*, alteram *Extrinsecam* voco. *Extrinseca* obversis cornibus in jus arietat, ipsúmque è medio tollit. Quando Lex, quæ Antiquis Legislatoribus æqua & justa visa fuerit, mutatis rerum circumstantiis, æqua esse desiit. Hujus *ex æquitate* abrogandi potestatem Principes sibi reservârunt, suique juris fecêre. Huc Constantini Magni verba trahi possunt. *Inter æquitatem juscá, interpositam interpretationem soli Principi oportere & licere inspicere.* Si tanta potestas Judici committeretur, quidlibet pro arbitrio suo, *sub obtentu æquitatis* proferret; & quantum cujusque Judicis animo insideret, tantum etiam legibus locus esset. Æquitas intrinseca existimatur, teste Aristotele τῷ κεκαμμένῳ νόμῳ ἐλλείψει, quæ in oculos incurrens, legibúsq; aliis adjuta, Regulam *Juris stricti* ex mente legis, & ex circumstantiis

tiis tēperat, & inflectit, quæ ipsi juri cognata est. Juxta istam æquitatis rationem Judex (cum sit δίκαιον ἔμψυχον) asperitatem Juris *Decreto justo*, i. e. *in æquitatem flexo*, temperare tenetur. Et si à lege recedere contingat, rationem, i. e. *mortuæ legis animam* sequatur. Huc respexisse videtur tritum illud Dionysii Catonis carmen:

Ipsæ etiam leges cupiunt, ut jure regantur.

vel *juris partibus*, veluti *Edictis, Senatūs-Consultis, Constitutionibus* interpretandis. Quomodo Cicero

Cic. Phil. Or. 3. *admirabilem Servii Sulpitii in legibus* ÆQUITATE *interpretandis scientiam fuisse ait, cùm non magis Juris quam*

In Adelph. Act. 4. Scen. 1. *Justitiæ consultus esset, & Jus Civile ad æquitatem referret.* Quando strictum jus ad æquitatis normam (Hæc enim *de jure*, teste Donato *multum remittit*) exigi debet. Hinc illa Pau-

Jac. Goth. de Reg. Juris Reg. 90. li regula: *In omnibus quidem*

tem, maximè tamen in jure æquitas spectanda sit.

III. 4°. Hanc regulam Judicis animo altè infixam cupimus, *sententias non esse præcipitandas.* Nihil enim Justitiæ magis (ubi omnia ad libellam rationis expendi solent) noverca reputatur, quàm *præcipitata Judicis voluntas, & decretum* sine judicio. Nam *ad pœnitendum properat, citò qui judicat.* Imò vix dari possit pœnitentiæ locus, ubi nulla potestas (teste Anaxandride apud Plutarchum) mutandi consilii, aut quod erratum est corrigendi concedatur. Quod semel à Judice *(cujus nescit vox missa reverti)* statutum est, irrevocabile prorsus existimatur. *Itaq. tempore indigemus* (ut rectè monent leges) *ut aliquid maturius agamus; ne præcipitemus Consilia & opera nostra, & eorum ordinem corrumpamus.* Quod præceptum Archidamus Spartanorum

Plut. in Apophth. Lacon.

Uran. Conf. 54. num. 3. Tom. 2.

v. Orat. Archid. apud Thucyd. l. 10. p. 28. E. l. Steph.

Rex à *majoribus suis* ex traduce recepisse gloriatur: μηδ' ἐπιχώρησις ὑ βραχεῖ μορίῳ ἡμέρας τοῖς πολλῶν σωμάτων, ὑ πόλεων, ὑ δόξης βουλεύσασθε, ἀλλὰ καθ' ἡσυχίαν. *Neve brevi momento temporis adducamur ad consultandum de multorum capitibus, pecuniis, urbibus, & de gloriâ properantes decernamus; sed per otium.* Tantum abfuit, ut Imperator inconsultò & propere agere aliquid pergat, ut Antoninus Philosophus integrum diem in negotiis minoris momenti expediendis consumere non erubesceret. At quando de *capite civis* sententia ferenda est, ratio postulat, ut *executio* per aliquot dies differatur *juxta legem*, quam à Theodosio *Thessalonicensium gratiâ* non sine multo ambitu extorquebat Ambrosius. *Ne severum supplicium ante 30 dies executioni mandaretur.* Immanis apparet illa Turcarum truculentia, qui scelere deprehensos vel criminis suspitione notatos gladiis è vestigio

v. Anton. apud Dion.

Zon. in Theod. l. 20. de pœnis.

ſigio obtruncant, aut laqueo vitam finire cogunt.

IV. Vta *Regula. Breviter litem* D.l.Omnes 12. in prin. l. ult. inf. ut litis intra cert. Temp. D. l. properandum 13. in prin. & par. 8. l. ult. inf. de Jure Fiſci.
lucidat, nec dilationem in Causâ Criminali ultra biennium, in Civili ultra triennium admitti patiatur, niſi de Jure Fiſci, aliiſve publicis functionibus agatur, cujuſmodi actiones intra ſex menſes à lite contestatâ finiri debent. Jusjurandum iſdem penè verbis conceptum Judices in Romano-Germanico imperio hodiè præſtant, *ſe Cauſæ expeditionem, deciſionem, & ſententiam non protelaturos, ſive protracturos dolo malo & in ullius hominis fraudem.* Judex enim cavere imprimis debet, ne partes litigantes de induſtriâ moram trahentes laboribus & expenſis ſe invicem vexent, litéſve evadant immortales. Si per Judicem ſteterit, quominus Edicto tempore lis finere- Rhiter. Juris Juſt. par. 9. cap. 6. c. finem Extr. de dolo & contum.

tur, à munere judiciario (alio in ejus locum subrogato) depellitur. Actor, qui tribus Edictis publicè evocatus per decem dies de *Jure Veteri*, (at *Jure Novissimo per* 30.) comparere neglexerit, *Contumax* pronuntiatur, à quâ *Contumaciâ* nisi intra anni spatium vel saltem triennii, (ut Jus Codicis præ se fert) se purgaverit; liberum foret Judici, *ex Actis satis instructis*, sententiam secundùm eum, qui justam causam habuerit, proferre condemnabítque Actorem, etiam Victorem, in litis expensas: Sin verò Judex *ex Actis* instrui non possit, à judicii *instantia* Reum absolvet, eíque *Actorem* in litis expensas condemnabit. Pari passu *Reus*, si in *Contumaciâ* perseverat, damno litis coercetur; sententiæque contra eum latæ contradicere, vel ab eâ appellare non poterit. Si Actor vel Reus litem Contestatam deserat,

D. l. properandum 13. par. Etsi quidem Nov. 112. c. 3.

D. l. properandum 13. par. 3. Nov. 68.

Ert-

Eremoditium Jure Romano commissse dicitur. Hujus tamen Criminis damnatus Jure Attico mille drachmis mulctabatur. Ulpianus: τὸ μὲν δεσμὸν δίκην ἔχοντας, εἶτα ἀποστεροῦντας τὰς εἰς τὸν κύριον, ἐρήμου διδόντας· τὸ δὲ τίμημα τοῦ χιλίας δραχμάς. *Cui status conflictus dies est cum adversario, nec inierit, Eremoditii damnator, & mille drachmis mulctator.* Eásque datis prædibus persolvebat, nisi intra decem dies ex justâ Causâ abfuisse docuisset, morámque coram Judice purgâsset, quo peracto ad judicium restaurandum modo intra duos menses redintegrare jurâsset, restituebatur. Quam Eremoditii restaurationem Jus Atticum apud Demosthenem sic definivit: ἀλλὰ τὴν μὲν ὕβριν ἀντιλαχεῖν ἔξεστιν ὥσπερ καὶ περὶ ἐμοῦ τὸ πρᾶγμα πεποίηται, πρὸς ἄνδρα δὲ ἓξ ἀρχῆς οὐκ ἦν δίκη.

v. Ulp. ad Demost. Midian.

D. l. proper. 13. par. 3. 4.

Pollux lib. 8. c. 6.

D. de minoribus 25. annis l. 7. in *Min.*

V. VI^ta. *Ubicunq; detur misericordiæ*

cordiæ locus, ibi Judicis sententia ad æquitatem inflectens, parti reæ succurrat. Regulam huic affinem tradunt Ebræorum Jurisconsulti. כראוי לכל אדם לדון את חבירו לכף זכות ולא יפרש בעשיו ודבריו אלא לטוב *Convenire omni homini ut ὁμοιοπαθῶς de proximo suo judicet, ejusdemq; facta & dicta in meliorem partem interpretetur.* Super quod præceptum mutuam inter homines benevolentiam fundari, conservarique asserunt Magistri Israelis. Eundem morem in Attico foro invaluisse constat. Nam si pares essent calculi, secundùm Reum pronuntiabatur. τὴν ἐνοχὴν ἴσαις ψήφοις, *paribus calculis secundùm Reum pronuntiato.* Quam regulam inter Græcos decantatam Euripides, Æschylus, Aristophanes (quasi Areopagiticum Minervæ suffragium) passim laudant. Sit instar omnium Aristophanis Scholiastes

Eurip. Electra Æschyl. Eumenid. Arist. in Ranis.

ὅταν γὰρ ἴσαι γένωνται αἱ ψῆφοι ἀπολύεται

ἰσηγορίαν καὶ τὸ ἴσον καὶ τὸ ὅμοιον ἐπιζητοῦσιν. Tmem. 13. Prob. 29.

Idémq; Aristotelis, Dionis, Philostrati, aliorúmque calculis comprobatum video. At Jus Romanum humanitatem & naturalem favorem, quem Actori denegat, erga Reum semper exercet, quod in diversis processus Judiciarii Apiculis cernitur. I. Actor Reo edere cogitur, non vicissim Reus Actori. II. Dilationes Reo & facilius & plures tribuuntur quàm Actori. III. Gravius statuitur in Accusatorem absentem quàm Reum. IV. Qui populari actione convenitur ad defendendum Procuratorem dare potest: Is qui movet non potest. V. Ignorantia Rei justior Quam Actoris. VI. Pluribus defensionibus Reo uti permittitur, non Actori pluribus actionibus.

Gajus l. 5. in Ed. Ct. provinc.

l. ult. Cod. de Eden.

l. ult. de feriis.

l. 5. de pop. Act.

Jac. Gothofred. Reg. 125. par. 3. p. 533.

l. Judices 9. Eod.

VI. VII[a]. *Judex plenè de causâ cognoscere tenetur*, hoc est, *probationes relevantes, & ad rem maximè facientes admittere, sive fuerint ex fonte Furis petitæ, seu testimonia ex ore testium αὐτοψῶν prolata.* Utrisque enim Judicis animus ad lites dirimendas instrui debet. Lex Ebræorum disertim cavit:

v. Rabb. apud Hotting. p. 113. לא לו לדון הדין באמד הרעת *Non judicandum ex conjecturis*, sed omnia ex testimonio *fide dignorum* inter se consentientium ritè peragenda.

VII. VIII[a]. *Judici cavendum est, nè ad multitudinem respiciat, sed ad eos, quibus potius veritatis lux adsistit.* Quia ex præscripto legis fides, dignitas personarum, & morum gravitas in testimoniis dicendis potiùs examinanda, quàm testium numerus.

D. l. 22. tit. 5. leg. 7.

Talmudici Judices non tantùm integræ existimationis homines, sed בני בריה *fœderatos* ad excludendum Gentiles, &

Cod. Maccoth. c. 4. par. 4.

& בני חורים *spectabiles* in testimonium adhibebant, à quibus sapientiam tanquam fidei comitem exigebant. Nam ex mente Maimonidis שו"ת עזרות צדיק כוון ויש בה דעת הרבה *Requirit testimonium, rectam dispositionem, & multum scientiæ*, & unius sapientis testationem mille aliis præponderare volunt. Hinc ex suorum placitis scelesti hominis aut imperiti verbis nullam fidem affinxêre. אין ראוי להאמינו כרבר *non dignus est impius, cui ulla in re adhibeatur fides.* In horum censu illiberalium artium professores reponuntur, qui in sordidâ arte ab unguiculis versati per fraudes & quasi ex insidiis lucrum captant. Nam ut inquit Themistius, τὸ γὰρ ἄνω αὐχμῶ καὶ ἐνδύτῃ, καὶ ἐλεύθερον, ἡ ἐκ παίδων δουλεία ἀφήρηται, τὰ παθήματα, καὶ δουλοῖ, καὶ ὑπὸ τὸ σκότος διὰ τὸ ὀμιδεῖς ἀναγκάζουσα ἀμαθῆ. *Servitus enim, cui à puero assuevit, erectum illum & liberum spiritum ei abstulit, ad fraudes au-*

Hil. Edit. c. 13.

v. Hotting. Juris Ebr. l. 81.

Them. Orat. 1.

tem & obscuras atq; insidiosas, & quasi tenebrosas artes compulit. Ob similes rationes Justinianus ἐπιθέσεις πάσας καὶ χαμερπεῖς, καὶ παντάπασι δούλους, *Sellularios, aliasq; humi repentes animas* à testimonio dicendo reppulit. Quare à Judice diligenter advertendum est, ne testatior fides opificum catervæ adhibeatur, quam unico testi, quem lex ἀυτάπαξ, seu idoneum pronunciat. Justinianus quatuor annumerat signa Diagnostica, quibus testis omni exceptione major adornari solet 1. Διὰ τὸ τὴν ἀξίαν *Ex dignitate* forsan Civili. Lex enim non præsumit virum spectabilem in fastigio dignitatis collocatum falsò testari. 11. Διὰ τὸ τὴν στρατείαν *Propter militare* quoddam *ministerium*, quod in Principum Aulâ *Latini ordinis* viri post Justiniani seculum sustinuerunt. Quando illi, qui Imperatorum signa sequebantur στρατιῶται, totúsq; Aulicus Apparatus στρατόπεδον à Græcis Jureconsultis haberetur. Hisce

l. un. c. de Castr. Palat. pecul.

in

à Aulicâ militiâ veteranis maximam fidem in testimonio ferendo detulerunt. III. Διὰ τὴ ἐυπορίαν *Ex facultatibus*, Hominis enim opibus abundantis fides minus suspecta à Romanis erat; inter quos locuples testis in Proverbium abiit. Pauper verò (ut inquit Libanius) κᾂν δικαίαν διακονήσῃ δοκοῦσιν ὑποπτεύειν, *licèt justam administrationis suæ rationem reddat, in suspicionem incidit sordium.* Qui licèt à testatione non repellitur, ejus tamen dicta in foro Romano vili æstimantur: At quem μειλίχιος ad summam rerum suarum inopiam redegit, vel(ut cum Plauto loquar) qui —

Lib. in Progymn.

Plaut. in Prolog.

Rem benè paratam Comitate perdidit.

Is ad testationem faciendam tanquam fide dignus à Justiniano recipitur. Hinc Phormionis vox apud Terentium.

l. Suspect. D. de susp. Tut.

Heus, quanta quanta hæc mea paupertas est: tamen

Adhuc

Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mihi esset fides.

IV. Signum testis exceptione majoris, Δια τὸ τῆ ἕξει νόσου *ex vitæ instituto* desumitur, quando quis *Honestæ artis titulum* præ se ferat, vel vivendi genus sectetur, quod Philosophos veteres Fabricios & Publicolas *castâ paupertate* beatos reddidit, illósque posteritati commendavit; Tantum abfuit, ut voluntaria ista paupertas eorum fidem minueret, quòd potiùs augeret adstruerétque. Testor Xenocratem, cujus solius testimonium, etiam injuratò prolatum, pluris erat, quàm multorum divitum (juramento interpositò) consociata fides.

VIII. IX^a. *Ne eadem res de qua judicavit, iterum proferatur in judicium, advertat.* Hanc regulam ex Corpore Juris Attici desumptam liquet,

v. Pet. Comm. in Leg. Attic. tit. 8.

Demost. in Leptin.

οἱ νόμοι ᾗ οὐκ ἐῶσι δίκῃς περὶ τῶν αὐτῶν ἄνδρ᾽ ἄν δ᾽ αὖ, ὅτε δίκαι, ὅτε ἐυθύναι,

λόγου, ὅτε διαδικασίας, ὅτε ἄλλο τινὸς ἕνεκεν ἐλθεῖν
ᾠ. In quæ verba Ulpianus sic commentatur, δὶς γὰρ οὐκ ἔξεστι ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ δικάζειν. *Non licet in eâdem Causâ bis Judicium adipisci.* Hinc Phormio apud Terentium.

Quandoquidem solus regnas, & soli licet
Hîc de eâdem Causâ bis judicium adipiscier.

Quod Jus Civile maximè abhorrere Donatus asserit *in quo cavetur, ne quis rem actam apud Judices repetat.* Donat. ad Terent. Andr. Act. 3. Sc. 1.

X^a. *Maximè incumbit tum Prætori, tum Judici lites minuere, partúsq;, si commodè fieri possit ad Concordiam revocare.* Interest enim Reipublicæ ut litigii semina ex Civium animis penitus evellantur, belláque forensia, quæ circa *Meum* & *Tuum* exoriri solent, altâ pace consopiantur.

IX. XI^a. *Rursus omnibus modis caveat, ne judicium coram se agitatum fiat Elusorium.* Nam si iudi-

cras

cras, & eluſorias cauſas coram ſe agi Judex patiatur. 1 Ejus autoritas evileſcet, réſque Judicata in caſſum cadet. 11. Nihil magis Civitatis ruinam accelerat, quàm ut litigatores laboribus & expenſis fruſtrà vexentur, litéſque in numeroſo populo quotidie ſubnaſcentes immortales fiant.

XII[a] *Judicium poſſeſſorium petitorio, incidens principali, præjudiciale finali, Criminale Civili præferat.*

XIII[a]. *Victum Victori in litis expenſas, Victoris juramento taxanda condemnet.*

X. Hactenus in Cretico noſtro Judice adornando hæſimus. Reſtant duæ partes hujus Tituli percurrendæ, una de *Judice competenti*, Altera de *Actore & Reo*, quas *tribus lectionibus* abſolvere cum animo deſtinavi. At *Currente* (ut aiunt) *rotâ* ſub manu crevit ſuppellex, novæque de Judice controverſiæ, quaſi tot Hydræ capita continuò

ontinuò ſuppullulârunt, quas intra præſtitutum tempus componere fidémque vobis oppignoratam liberare non potui. Quare in ære veſtro diſceſſurus Orationis filum abrumpere cogor. Spondens me in poſterum huic etiam parti non defuturum in eo præſertim *Corpore* (cui Titulum feci) *Juris Papyriani*; ubi leges Hetruſcas, Sabinicas, Regias, ab Orco quaſi revocatas collegi, & cum Atticis, Ebraicis, aliiſque contuli, ex quibus Digeſtum quoddàm vetus omnibus numeris abſolutum componere conatus ſum. Interim Opuſculum hoc levidenſe, Majoris moliminis Præcurſorem, Æqui, boníque conſules rogo.

Æternitatem Cogita-

CAP. I. *De varia Judicum appellatione tam in in foro Attico quam Romano. à pag.* 2. *usq. ad* 21.

II. *Qui Judices dari possunt? à p.* 25. *usq. ad* 50.

III. *De iis qui à Natura & Lege Judices esse prohibentur. à p.* 54. *ad* 77.

IV. *An servi possint esse Judices? à p.* 81. *usq. ad* 102.

V. *Fœminæ Gentium moribus possunt esse Judices. à pag.* 107. *usq. ad* 143.

VI. *An Legum imperiti possint esse Judices? à pag.* 149. *usq. ad* 183.

VII. *An Judex debeat secundùm Acta & Probata Judicare, an vero secundùm Conscientiam? à pag.* 190. *ad* 228.

VIII. *An Judices dari possint ex Corpore Advocatorum? à pag.* 232. *ad* 257.

IX. *De dotibus sive insitis sive adsitis quibus Judicis anima adornari debet. à pag.* 261. *ad* 279.

X. *De Officio Judicis. à pag.* 283. *ad* 303.